No M

9
18 K
13

Colonna 12. Tav. 3. Num. 4.

Digitized by Google

9.18.K13

Pre Mastro

Pertinet ad Conv. S. Bonae de Urbe

Digitized by Google

[illegible]

Nouvelle Biographie générale.

a cura di [illegible] Duchesne

Digitized by Google

9, 18. K. 13

DE SANCTORVM
MARTYRVM
CRVCIATIBVS

ANTONII GALLONII
ROM. CONGREG. ORATORII PRESBYTERI
LIBER,

CVM FIGVRIS
Romæ in ære inciſis per ANT. TEMPESTAM,
& aliis eiuſdem argumenti libellis.

Ex Muſeo RAPHAELIS TRICHETI DV FRESNE.

PARISIIS,
Apud FRIDERICVM LEONARD, viâ
Iacobæâ, ad inſigne Scuti Veneti.

M. DC. LX.

Digitized by Google

DE SS. MARTYRVM CRVCIATIBVS

ANTONII GALLONII ROM.
Congregationis Oratorii Preſbyteri

LIBER

Cum figuris Romæ in ære inciſis
PER ANTONIVM TEMPESTAM
Et aliis ejuſdem argumenti Libellis
ex muſeo Raphaelis Tricheti
du Freſne.

PARISIIS.

M.DC.LIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO

ILLVSTRISSIMOQVE VIRO DD.

NICOLAO FVCQVETIO

REGIS IN SVPREMO SENATV

PROCVRATORI,

ET SVMMO ÆRARII GALLICI

PRÆFECTO,

Vicecomiti Melodunenſi & de Vaux, &c.

RAPHAEL TRICHETVS DV FRESNE.

HOC *ſcio*, VIR ILLVSTRISSIME, *quòd libellum hunc in vaſtum bibliothecæ tuæ ſinum inferre, nihil aliud eſt quàm mari aquam addere. Volui tamen (nec me continere potui) li-*

Digitized by Google

terario hocce monumento, & votiuo veluti munere, meam tibi obſeruantiam ſignificare: iniquus enim planè ſim, & à Muſis alienus, ſi in literis, ſi in libris diu verſatus, te Attalum, te Ptolemæum, te bonarum omnium artium regem columénque, & ad maximas quaſque res natum atque efformatum, non ſuſpiciam venerérque. Faciles ad te aditus fecit humanitas tua, & generoſi pectoris beneficentia, à qua ſi vnus excludar, ab ipſo pene humanæ ſocietatis iure excludi videar. Nec diſplicebit operis argumentum; tale enim eſt, quod tui ſimiles pios pariter & doctos viros valeat delectare. Vale. Pariſiis.
M. DC. LX.

RAPHAEL TRICHETVS DV FRESNE
CHRISTIANO LECTORI.

TRAGICA pene tota eſt primorum Chriſtianorum hiſtoria, tantíſque mõdis in eos ſæuitum eſt, vt vix in alia re ingenioſior fuerit antiquitas. Multùm autem debemus Antonio Gallonio, cuius eruditione & labore, quæ confuſa obſcuráque in ſacris annalibus legebantur de ſanctorum Martyrum cruciatibus & inſtrumentis quibus eorum fides tentata eſt, in pauca capitula ſigillatim in hoc libro diſtributa & explicata habemus. Eò enim, antequam ille ad hoc opus ſe accingeret, deducta res erat, vt Martyrum geſta recolentes, tormenti quidem nomina legeremus, ſed tormenta ipſa, cuiuſmodi ea eſſent, non intelligeremus. Opus ſuum anno primum 1591. Italicâ linguâ exaratum, in lucem Romæ emiſit cum figuris, non tam ad ornamentum quàm ad difficilis, quod tractabat, argumenti illuſtrationem. Figuras autem à Ioanne Guerra Mutinenſi Sixti V. Pontificis pictore delineatas Antonius Tempeſta Florentinus in ære expreſſit. Ioanni Guerræ frater erat Ioannes Baptiſta Guerra, qui cùm eſſet architecturæ peritiſſimus, præfuit conſtructioni templi S. Mariæ in Vallicella, quod in Vrbe

Digitized by Google

Eccleſiam Nouam nuncupant, pertinétque ad Congregationis Oratorij preſbyteros, inter quos Gallonius religioſam vitam ducebat. Anno poſtea 1594. ne intra breues Italiæ terminos vtilis & ſalutaris ſcriptionis gloria coërceretur, quæ priùs Italicè ſcripſerat, multis additis & immutatis Latina fecit Gallonius. Figuras quoque addidit à Ioanne Guerra iterum delineatas, ſed in ligno inciſas. Ego priores nactus, quæ longè elegantiores ſunt, Gallonium typis Gallicis cudendum curaui. Ob argumenti communionem Magium de Equuleo, & Lipſij de Cruce compendium ſubiungenda putaui. Qui vberiorem in hoc genere antiquitatis notitiam habere voluerit, legat doctiſſimos Iacobi Gretzeri è Societate Ieſu commentarios de Cruce.

Digitized by Google

ANTONII GALLONII
PRESBYTERI
CONGREGATIONIS ORATORII
EPISTOLA
AD CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

LIBELLVM, *Beatiſsime Pater, quem ſuperioribus annis de Inſtrumentis Italicè conſcripſeram, déque variis cruciandi generibus, quibus olim inuicti Chriſti milites martyrij palmam ſunt conſecuti, à me hoc tempore, vt par erat, Latinitate donatum, & auctum, Sanctitati tuæ offerendum putaui. Æquum enim congruúmque viſum eſt mihi, vt opus, quo ſanctorum Martyrum cùm laudes, tum victoriæ continerentur, tibi, ſacroſanctæ vniuerſæque Chriſti Eccleſiæ capiti, quam proprio illi ſanguine plantarunt, dicaretur. Accipe igitur, Sanctiſsime Pater, exiguum hoc munus, iure tibi debitum: mihique omnium ſacerdotum infimo Congregationis Oratorij, Beatitudini tuæ perpetuò addictiſsimæ, benedictionem vel minimam impertire*

Digitized by Google

DE SANCTORVM MARTYRVM CRVCIATIBVS.

Capvt I.

De cruce, ſtipitibus, & modis, quibus Chriſtiani in Chriſti confeßione perſeuerantes appendebantur.

TRactatvri hoc libello cùm de martyrij inſtrumentis, tum etiam de innumerabilibus penè modis, quibus glorioſiſſimi atque inuicti Domini noſtri Ieſu Chriſti milites pro eius honore mortem forti animo ſubiêre; à ſacroſancta cruce operis initium meritò facere decreuimus: hæc enim illa fuit, in qua Saluator orbis, æterni Patris Filius, mortis vincula rumpens, callidum aſpidem ſuperauit, & ſuis fortitudinem promeruit, vt maxima cum cordis lætitia eſſent parati ad omnia omnino ardua ac difficillima, etiam, ſi ſic res poſtulauerit, vſque ad ſanguinis effuſionem, & membrorum omnium crudeliſſimam obtruncationem. Cùm igitur eius ſacræ diuinæque legis magiſtri ac prædicatores robur, quod in tormentis præ ſe ferebant, à cruce acceperint, à cruce librùm iure decuit exordiri. Quoniam verò ſtipites erecti ſub hoc eodem crucis nomine ab antiquis comprehendebantur,

ideo & de his erit nobis ibidem agendum, ſicuti & de modis, quibus ſancti Martyres pro Chriſti fide defendenda ſuſpendebantur: nam tam cruci affixi, quàm palis alligati, erant aliquo modo pendentes.

Crucis ſupplicium non ſolùm Hebræis, ſed & Gentilibus quoque vſui fuit.

Nunc autem reuertentes ad crucem, dicimus, non tantùm Hebræos conſueuiſſe reos mortis ipſimet cruci ſuffigere, ſed etiam Gentiles: & hoc quidem nonnullæ ipſorum auctoritates declarant; Ciceronis primùm pluribus in locis, præcipuè 7. Verr. & lib. de finib. bon. & mal. Valerij Maximi lib. 6. cap. 2. externorum 3. de L. Domitio Prætore, & 8. de Quæſt. cap. 4. de Alexandro ſeruo Fannij, Titi itidem Liuij lib. 3. Curtij 9. Suetonij in Galba 9. & Senecæ de conſolatione ad Martiam: quo in loco habetur, cruces non generis eiuſdem extitiſſe, vnde huiuſcemodi ibidem verba leguntur: *Video iſtic cruces non vnius quidem generis, ſed aliter ab aliis fabricatas: ſunt qui capite in terram verſo ſuſpendant: alij per obſcœna ſtipitem agunt: alij brachia patibulo explicuerunt*, &c. Quod autem dicit; *alij per obſcœna ſtipitem agunt*, quodnam crucis genus eiuſmodi fuerit, explicat idemmet Seneca lib. 17. epiſt. 102. crucem enim eam, dum in Mecænatem voluptuoſum inuehitur, acutam nominat. ex quibus omnibus optimè colligi poteſt, ſicut etiam ex lib. 2. epiſt. 14. eiuſdem auctoris, ex crucibus alteram fuiſſe, vt illæ quas communiter per crucis vocem intelligimus; alteram verò inſtar palorum acutorum, quibus hoc tempore Turcæ ad reos vitâ priuandos vtuntur, adigentes illos per medium hominem vſque ad ſummum oris. Legatur, ſi placet, Seneca loco paulò antè citato, & Procopius de bello Wandalico lib. 1.

Cruces non vnius tantùm generis fuerunt.

Primo crucis generi (ſicuti Seneca ſuperiore loco, multipliciáque Sanctorum acta teſtantur) aliqui fuerunt affixi capitibus in terram verſis, aliqui autem ad cælum eleuatis; & vtroque modo in crucem ab idolorum cultoribus tollebantur Chriſtiani. Capite in terram verſo, martyrio inter alios coronatus fuit coryphæus Apoſtolorum Petrus, de quo hæc Origenes: *Petrus ad extremum Romæ cùm verſaretur, capite deorſum ſtatuto (ſic enim perpeti cupiebat) cruci affixus eſt.* Auguſtinus autem ſic: *Currunt itaque vterque*, id eſt, Petrus & Paulus, *ad palmam martyrij, & vterque perueniunt ad coronam.* Et paulò pòſt: *Petrus pro Chriſto capite deorſum verſo in ligno ſuſpenditur: Paulus pro Chriſto gladio trucidatur. Ille propriis*

FIGVRA PRIMA D.

Origen. in Geneſ. apud Euſeb. lib. 3. cap. 1.

Auguſt. ſerm. de ſanct. 28.

Digitized by Google

greſſibus proficiſcebatur ad Chriſtum, oculiſque ad ſuperiora reſpiciens, beatum ſpiritum deducebat ad cælum. In eandem quoque ſententiam (vt alios Patres omittamus) ſcribit Chryſoſtomus hom. in Princ. Apoſtolorum: *Gaudeas tu,* (inquit) *Petre, cui datum eſt, vt ligno crucis Chriſti fruereris, & ad Magiſtri ſimilitudinem voluiſti crucifigi, non rectâ quidem figurâ, vt Chriſtus Dominus, ſed capite in terram verſo, tanquam qui à terra in cælum iter faceres. Beati illi claui, qui ſancta illa membra penetrarunt.* Hucuſque Chryſoſtomus. Sanctiſſimo huic Chriſti Apoſtolo addere poſſumus Calliopum, qui eodem mortis genere pro tuenda Chriſtiana religione fortiter excellentérque de diabolo & mundo triumphauit: itémque & illos, quorum Euſebius meminit hiſt. lib. 2. cap. 8. in fine. Et hæc de cruci affixis, pedibus ad cælum tendentibus.

Pedibus autem ad terram demiſſis (vt rem noſtram proſequamur) paſſi ſunt complures Chriſtianæ legis buccinatores, Philippus videlicet & Andreas Apoſtoli, item [a] Cleonicus, Eutropius, Baſiliſſus, [b] Theodolus, [c] Neſtor Epiſcopus, [d] Timon Diaconus, [e] Alexander quidam, [f] Phengon, Eucarpus, [g] Timotheus, Maura, [h] Eulalia Barcinonenſis, [i] Lucillianus, [k] Apollonius, [l] Fauſtus. Præter hos ſcribit quoque Martyrologium Romanum de martyribus decem millibus crucifixis, & de Simeone quodam Epiſcopo similiter crucifixo, qui tunc temporis ætatis ſuæ annum vigeſimum ſupra centeſimum agebat. De primis, id eſt, de decem millibus in crucem ſublatis, X. Kalend. Iulij, ſic: *In monte Ararath paſſio ſanctorum martyrum decem millium crucifixorum.* De altero verò, nempe de Simeone Epiſcopo, XII. Kalend. Martij, his verbis: *Hieroſolymis natalis beati Simeonis Epiſcopi & martyris, qui filius Cleophæ, & propinquus Saluatoris ſecundùm carnem fuiſſe traditur. Hic Hieroſolymorum Epiſcopus poſt Iacobum fratrem Domini ordinatus, in perſecutione Traiani multis ſuppliciis affectus, martyrio conſummatus eſt, omnibus qui aderant, & Iudice ipſo mirantibus, vt centum viginti annorum ſenex crucis ſupplicium fortiter conſtantérque pertuliſſet.* Tractat de eodem met S. Epiſcopo Euſebius hiſt. 3. cap. 26. & lib. item 8. cap. 8.

FIGVRA PRIMA C.

[a] *SS. Cleonici, Eutropij, & Baſiliſſi referunt Acta Græci in Menolog. 5. Non. Martij.*
[b] *Theodoli Euſeb. hiſt. lib. 8. c. 22.*
[c] *Neſtoris Surius tom. 1.*
[d] *Timonis Roman. Martyrol. 13. Kal. Maij.*
[e] *Alexandri Surius tom 2.*
[f] *Phengonis & Eucarpi idem to. 1. ex Metaph. ſub S. Clementis Ancyrani titulo.*
[g] *Timothei & Mauræ Menolog. 5. Non. Maij.*
[h] *Eulaliæ nos in hiſt. SS. Virginum externarum.*
[i] *Lucilliani Menolog. 3. Non. Iunij.*
[k] *Apollonij idem Menol. 6. Id. Iulij.*
[l] *Fauſti idem 16. Kal. Auguſti.*

Modus quo Gentiles ad Chriſtianos crucifigendos vtebantur.

Præparabant à principio crudelitatis miniſtri (vt nonnulla ex Actibus ſuprà citatis, & præcipuè Pionij indicant) malleum, clauos ferreos, & crucem ex ligno compoſitam, quam continuò in terra locabant, & interdum funes aliquos deferre ſolebant, ad manus ac pedes in crucem agendorum extendendos: deinde ſanctos martyres, ſiue alios ex eorum vana religione alicuius criminis reos, veſtibus denudatos, in ligno ponentes, quatuor (vt probabilius videtur) clauis eos in ipſo ſuſpendebant: quo facto ſtipitem ſimul cum cruci affixis deſuper eleuabant, & in excauatum foramen erigentes, ſic eos ad acerbiorem cruciatum permanere vſque ad putrefactionem relinquebant, vti Valerius Maximus libro ſexto, cap 2. externorum 3. atque alibi non obſcurè innuit. Ex his itaque diſcere poſſumus, fuiſſe Hebræos à Gentilibus diſcrepantes in corporibus cruci affixorum deponendis è ligno: hi etenim (vt modò notauimus) ea in patibulo pendere donec putreſcerent, ſinebant: at Iudæi non ſic, quoniam eadem die, iuxta legis mandatum Deuteronom. cap. 21. è ligno deponebant, & loco conuenienti funerabant.

Quomodo differrent Hebræi à Gẽtilibus in corporibus cruci affixorũ deponendis è ligno.

De palo acuto.

De alio verò crucis genere, quod initio capitis palum eſſe acutum Senecæ auctoritate demonſtrauimus, parum in hoc noſtro libello pertractabimus, cùm hactenus non potuerimus in martyrum antiquorum hiſtoriis huiuſmodi ſupplicium inuenire: niſi fortè tale velimus nuncupare illud, quo glorioſiſſimi Chriſti athletæ præacutâ ſude per media viſcera tranſuerberabantur; & de hoc, diuino fauente Numine, capitulo vltimo peragemus: vel illud, de quo Theodoretus hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 38. his verbis: *Vbi autem videt eum*, id eſt S. Beniamin, *hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rurſus arundinem in membrum genitale intrudi mandat, quæ ſæpius extracta inſertáque dolores ei incuſſit inexplicabiles. Pòſt efferatus tyrannus virgam robuſtam, craſſam, & propter ramos vndique eminentes valde aſperam, in imam alui ſedem infigi iubet.* hæc ille. Verùm à Turcis (vt legitur libro ſeptimo de ſignis Eccleſ. cap. 3.) Hadrianus ex Ordine ſancti Dominici, & viginti ſex alij

Immanes cruciatus.

palis fuerunt infixi; de quo tormenti genere meminit Procopius de bello Wandalico libro primo, pag. 180. Ac de his hactenus.

De ſtipitibus.

FVERVNT cultui dæmonum deditis ſtipites magno vſui in variis Chriſtianorum cruciamentis: ipſis enim ſanctos martyres toto corpore vtplurimùm nudatos, clauis ferreis affigentes, vel certè funibus ligantes, vngulis, vncis, aut pectinibus immiſericorditer excarnificabant, ſagittis configebant, fuſtibus, aliiſque flagellorum inſtrumentis cædebant, morſibus ferarum obiiciebant, euellebant dentes, excidebant linguam, mulieribus mamillas amputabant, denique aliis diris modis eoſdem palis aſtrictos cruciare non deſiſtebant.

Confirmant hæc quamplurima ſanctorum martyrum Acta, [a] Gregorij nimirum Thaumaturgi, [b] Pionii, [c] Polycarpi, [d] Primi & Feliciani. [e] Mauritij & ſociorum, [f] Symphronij, [g] Philemonis, [h] Blandinæ, [i] Marci, Marcelliani, [k] Gaianæ, [l] & Febroniæ virginum, [m] & aliorum vtriuſque ſexûs ferè innumerabilium. hoc idem etiam ex antiquis ſcriptoribus indicant inter alios Cicero 7. in Verrem, Valerius Maximus lib. 3. cap. 8. de Fuluio, & lib. 5. cap. ſimiliter 8. de L. Bruto, & Suetonius Tranquillus in Claudio c. 34.

Sciendum hoc loco eſt, martyres, qui palis, clauis ferreis firmati torquebantur, fuiſſe iiſdemmet quandoque etiam funibus ligatos, & hoc ad maiorem forſitan ipſorum cruciatum. Videat lector, ſi vult, aliqua ex Actis Sanctorum paulò antè citatis, ſpeciatim Pionij, Primi, Marci, Mauritij, Marcelliani, & Polycarpi.

De ſtipitibus & eorum vſu.

[a] *Acta Gregorij Surius ex Metaph. tom. 1.*
[b] *Pionij idem ab eodem tom. 1.*
[c] *Polycarpi vetera noſtra bibliotheca manuſcripta.*
[d] *Primi & Feliciani Petrus lib 5. c. 99.*
[e] *Mauritij & ſociorum Surius tom. 4.*
[f] *Symphronij & ſociorum Petrus lib. 6. c. 144.*
[g] *Philemonis Petrus lib. 3. c 183.*
[h] *Blandinæ Euſebius lib. 5. c. 2.*
[i] *Marci & Marcelliani Petrus lib. 5. c. 124.*
[k] *Gaianæ Surius ex Metaphr. tom. 5. ſub S. Gregorij Armenij inſcriptione.*
[l] *Febroniæ Lipom. 7. Sur. 3. & Menolog.*
[m] *Plurium martyrum Rom. Martyrol. 8 Id. Ian.*

De columnis, atque arboribus eidem pene vſui accommodatis.

QVAMVIS conſueſcerent dæmonum cultores ſuppliciis ſæpiſſime afficere morti addictos ſtipitibus ligatos, de noſtris tamen inuenitur quandoque ſcriptum, fuiſſe eos aut columnis, aut arboribus, vel funiculis colligatos, vel clauis affixos, ipſis ſic iubentibus, excruciatos.

De columnis teſtes ſunt Acta Torpetis martyris à Petro lib. 5. cap. 8. relata, & Euſebius hiſtor. 8. cap. 11. & denique co-

lumna illa in baſilica S. Sebaſtiani extra Vrbem religiosè aſſeruata, quæ ex antiqua Chriſtianorum traditione illa eſſe creditur, in qua idem beatus martyr pro Chriſti fidei confeſſione ſagittis percuſſus fuit.

De arboribus verò teſtes Acta ſimiliter martyrum, Zoe à Surio deſcripta tom. 1. ſub S. Sebaſtiani nomine, Paphnutij ab eodem Surio tom. 2. Papæ à Menologio 17. Kal. Aprilis, & Victoris & Coronæ à Petro lib. 4. cap. 168. & à Lipom. tom. 7. à Surio 3. & à Mombritio 2.

De diuerſis ſuſpendendi generibus.

CVM hactenus à nobis de cruce actum ſit, & de ſtipitibus, reliquum eſt vt tandem in hac vltima huius capitis parte de modis ſuſpendendi inueſtigemus, quo pacto videlicet SS. martyres pro ſacri Euangelij defenſione fuerint à Gentilibus appenſi; variis enim, & quidem acerrimis modis per appenſionem, ipſorum arbitratu, paſſi inueniuntur: nam de aliquibus legitur, vno tantùm pede fuiſſe ſuſpenſos, & de aliquibus vtroque, aut ſaltem (vt ſcribit Nicephorus hiſtor. 7. cap. 11.) altero pede ad caput eleuato, molliore igne ſuppoſito, vt fumo ex illa materia proueniente ſuffocarentur: de quibuſdam aliis, vel ambobus, vel altero brachio, aut certè apicibus pollicum manuum, & pedibus ſimul grauia atque iniuſta addita pondera. De quibuſdam etiam reperitur, ſuſpenſos è muro ſublime pendentes, lapidibus & collo & pedibus appoſitis, aut funibus corporibus alligatis, oneratos habentes humeros glebis ſalis, & in os ad maiorem eorum pœnam lignis immiſſis. De quibuſdam aliis inſuper deprehenditur, melle perunctos fuiſſe ſub ardentiſſimo Sole ſtipitibus erectis aſtrictos, vt muſcarum & fucorum aculeis torquerentur. De aliis præterea, vncis ferreis ſuſpenſos, aut laqueo, vt necarentur, ſublime eleuatos eo modo, quo temporibus hiſce latrones & ſicarij, vt vitâ priuentur, leuari ſolent. Poſtremò, vel ad columnas, vultu alterius in alterum obuerſo ligatos, pedibus non ad terram demiſſis, vel denique capillis appenſos, vt mulieribus pro Chriſti fide decertantibus frequenter accidebat.

De ſingulis hiſce modis crebrò ſanctorum martyrum Acta loquuntur. De primo, illa Gregorij Armeniæ Epiſcopi, à

Metaphraſte apud Surium tom. 5. deſcripta, & Samonæ & Guriæ ab eodem etiam apud eumdem Surium tom. 6. & beatiſſimorum Ionæ ac Barachiſij à Metaphraſte item apud dictum ſcriptorem tom. 2.

Verùm appendebantur ſæpe altero pede per totum diem (vt Euſebius hiſtor. 8. cap. 9. teſtificatur) mulieres Chriſtianæ, itaut ne pudenda quidem earum in Chriſti vel maximè contemptum contegerentur. De ſuſpenſis altero pede.

Quantùm verò attinet ad modos, quibus martyres ita cruciabantur, ſciendum eſt eos fuiſſe multos. Nam aliquando ſimpliciter altero pede; aliquando ad hæc fumus ex humida addebatur & fœtida materia, nempe ex beſtiarum ſtercore, & inſuper tortores duodecim virgis cædentes: quandoque etiam vno pede in genu deflexo, & genu ferreo iniecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere, vt ſic miſerandum in modum diſcerperentur, grauato. Vnde in ſancti Samonæ Actis huiuſmodi verba narrantur: *Præſes autem ſtatim iubet Samonam altero pede in genu inclinari, & ferreum vinculum iniici eius genui: quod cùm factum eſſet, eum quidem ſuſpendit præcipitem à pede quem inclinauerat, alterum deorſum trahens pondere ferri.* hucuſque Acta. Figvra prima A. Figvra tertia B. Figvra secvnda C.

Aliquo horum trium generum affecti martyrio inter alios leguntur præclariſſimi illi Chriſti milites, quorum paulò antè fecimus ipſi mentionem, Barachiſius ſcilicet primo, Gregorius Armenius altero, & Samona tertio. Et hæc de primo modo.

De alio ſuſpendendi genere, quod de appenſis ambobus pedibus fuiſſe diximus, mentionem faciunt nonnulla ſanctorum martyrum Acta, Venantij nempe à Petro recitata Catalogi 5 cap. 12. & ſanctarum virginum Euphemiæ, eiúſque ſororum ab eodem Petro Catalogi 8. cap. 29. & à veteribus codicibus Aquileienſis Eccleſiæ manu exaratis, item ſanctorum Acepſimæ Epiſcopi, ac ſociorum à Metaphraſte apud Surium tom. 2. & ſancti Theopompi à Petro lib. 5. cap. 33. Idem quoque demonſtrant beati Victorini Acta à Romano Martyrologio relata Nonis Septembris, & Leontii nobiliſſimi martyris à Surio tom. 3. & S. Mercurij à Metaphraſte apud nuper citatum auctorem tom. 6. ac denique aliorum multorum, & quidem innumerabilium: de quibus X. Kalend. Iunij ſic ſcriptum reliquit Martyrologium Romanum: *In Cappadocia commemo-* De appenſis ambobus pedibus.

ratio ſanctorum martyrum, qui in perſecutione Maximiani, confractis cruribus, necati ſunt: item eorum, qui eodem tempore in Meſopotamia appenſi pedibus in ſublime, capite verſo deorſum, ſuffocati fumo, & lento igne conſumpti, martyrium compleuerunt.

Ceterùm non vno tantùm modo, ſed pluribus erant ita appenſi à ſeruis diaboli (vt ex Actibus paulò antè citatis percipi poteſt) excruciati: nam aliquando fumo inſuper faucibus preſſi; aliquando malleis ab iiſdem capita eorum contuſa; quandoque vel ingentia ſaxa eorumdem ceruicibus alligata, vel ſaltem facibus ardentibus, hoſtilem in modum aduſti.

FIGVRA PRIMA B.
FIGVRA QVARTA A.
FIGVRA SECVNDA A.

Primo horum in Meſopotamiæ regione quamplures Chriſtiani perpeſſi habentur; altero Euphemia, Thecla, Eraſma, & Dorothea præclariſſimæ Chriſti virgines; tertio Theopompus, & Mercurius, & poſtremo Venantius.

De tertio appendendi genere, id eſt, de appenſis altero brachio.

VERBA faciunt de hoc tertio appendendi genere, quod de appenſis altero brachio fuiſſe affirmauimus, permulta ſanctorum martyrum Acta, inter quæ illa Samonæ & Guriæ dudum à nobis notata, adnumeramus, & Antoniæ martyris nobiliſſimæ, de qua Romano in Martyrologio IV. Non. Maii ſic literis proditum reperitur: *Nicomediæ natalis ſanctæ Antoniæ martyris, quæ nimiùm torta, & variis afflicta cruciatibus, altero brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcere biennio detenta, ad vltimum à Priſcilliano Præſide in confeſſione Domini flammis exuſta eſt.* hucuſque Martyrologium Romanum.

FIGVRA PRIMA G.

Notari debet primùm, conſueuiſſe nonnumquam martyrum percuſſores alligare pedibus iſto modo appenſorum, vt ſingulæ illorum corporis compages diſtraherentur, grandis ponderis lapides: cuius rei præclarum firmúmq; teſtimonium aliquæ ſanctorum res geſtæ dant nobis, potiſſimùm Samonæ & Guriæ identidem in aliis propoſitis hoc ipſo capite citatæ.

De ponderibus, quibus Ieſu Chriſti Domini noſtri athletæ cruciabantur.

Frequentiſſimè in martyrum hiſtoriis legitur, eoſdem ſublime appenſos, fuiſſe inter alia tormenta ponderibus grauatos,

Digitized by Google

uatos, ex quibus quædam erant plumbea, vel ferrea, (vt alio loco dicemus) & quædam alia lapidea; lapidea veluti nonnulla fidem faciunt, quæ ad hunc diem hîc Romæ aſſeruantur in baſilicis SS. Apoſtolorum, atque Apollinaris, & Anaſtaſij ad Aquas Salúias non procul ab vrbe. Erant maximi ponderis lapides, nigrique coloris, rotundi, vel oblongi, ferreum annulum ſaxo impactum habentes, quo funiculus ad ligandum & ſuſpendendum ad pedes vel manus ſublime pendentium immittebatur.

Illud præterea lectorem ſcire volumus, quoſdam in ea fuiſſe opinione, vt crediderint prædictos globos lapideos à Ioſepho lib. de Machab. ad Polybium, Orbicularia appellatos, non fuiſſe inuentos inferendorum cruciamentorum causâ, ſed æſtimandorum onerum gratiâ: quod quidem (vt in Notationibus ad Romanum Martyrologium probatur) minimè eſſe pôteſt: nam quæ erant huiuſmodi, habebant (vt Iſidorus lib. 16. origin. & Alciatus de ponderibus cap. 1. docent) notam numeri inſcriptam, quam has non habere apparet. Orbicularia quænam fuerint.

Ampliùs diuerſa fuerunt (vt in dictis Notis ad Romanum Martyrologium ſcriptum habetur) hæc pondera ab illis, quæ lege 12. tabul. debitoribus exhibebantur: erant enim compedes, de quibus Gellius lib. 20. cap. 1. in fine, vbi hæc inter alia: *Vincito aut neruo, aut compedibus quindecim pondo non minore; aut ſi volet maiore, maiore vincito.* hæc Gellius. Varia ponderum genera.

De quarto ſuſpendendi genere, ſcilicet de ſuſpenſis ambobus brachiis.

De hoc quarto ſuſpendendi genere ſermonem faciunt Acta ſanctorum Procopij à Metaph. relata apud Surium tom. 4. Andochii, Thyrſi, & Felicis à Petro lib. 8. cap. 116. & Mennæ, ac ſociorum eius à Metaphraſte etiam apud Surium tom. 6. Figura prima B.

Scies hoc loco, hanc fuiſſe Gentium conſuetudinem, vt interdum vel pedibus hoc modo appenſorum grandia pondera vincirent, vel certè vt poſt tergum diſtortis brachiis eos ſublime demitterent, ac relinquerent. Quocirca Romano in Martyrologio hæc 8. Kal. Octobris de ſanctis Christi confeſſoribus Andochio & ſociis referuntur: *Auguſtoduni na-*

Digitized by Google

talis ſanctorum martyrum Andochij presbyteri, Thyrſi diaconi, & Felicis, qui à beato Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam, ibidem flagellis duriſſimè cæſi, ac tota die inuerſis manibus ſuſpenſi, & in ignem miſſi, ſed non combuſti, tandem vectibus eorum colla feriuntur, & ita glorioſiſſimè coronantur.

De quinto ſuſpendendi genere, videlicet de ſuſpenſis pollicibus manuum.

FIGVRA TERTIA A.

DE hoc quinto ſuſpendendi genere ſcribunt Iacobi & Mariani Acta à Petro recitata lib. 4. cap. 104. & à Surio tom. 2. in quibus eiuſmodi de Mariano Chriſti milite verba narrantur: *Marianum autem fecit tormentis obnoxium, quòd ſe lectorem tantùm, ſicuti erat, fatebatur. Quænam illa tormenta, quàm noua, quàm diaboli venenato ſenſu, & deiiciendi artibus exquiſita ſupplicia! Pependit Marianus ad vulnera: & quæ martyri, etiam in ipſis lacerationibus affuit gratia; ſic tortus eſt, vt illum exaltaret & pœna. Nexus autem, qui pendentem gerebat, non manus, ſed ſummos apices pollicum vinxerat, ſcilicet vt digitorum tenuis exilitas plus in ferendis membris ceteris laboraret. Addita etiam pedibus iniuſta pondera, vt diſcordantibus pœnis vtrinque diſtracta, & viſcerum conuulſione reſoluta, de neruis ſuis totius corporis compago penderet.* hæc Acta: quibus ſanè non obſcurè inſtruimur, vera eſſe, quæ de hoc quinto genere aſſeruimus.

De ſexto genere, videlicet de ſublime pendentibus, oneribus collo & pedibus ligatis.

FIGVRA QVARTA B.

DE hoc genere teſtes ſunt beatiſſimi Seueriani martyris res geſtæ, à Metaphr. apud Surium tom. 5. relatæ, his verbis: *Præfectus itaque, Seueriani ſilentium, contemptum, ſicut erat, arbitratus, grauiora in eo excogitabat, & cùm eum de ligno depoſuiſſet, deducit ad murum: cúmque duos lapides maximos & grauiſſimos, vnum quidem collo, alterum autem alligaſſet pedibus, & martyrem fune cinxiſſet, demittit è muro ſublime pendentem, vt lapidum pondere mèmbris ei diuulſis, violenter abrumpat animam.* hucuſque Acta. Et de hoc ſexto genere mihi iam ſatis ſupérque dixiſſe videor.

Digitized by Google

De ſeptimo, nimirum de ſuſpenſis funibus corporibus ligatis, onuſtiſque humeris glebis ſalis, &c.

De hoc ſeptimo genere mentionem faciunt beati Gregorij Armenij Acta à Metaphraſte apud Surium tom. 5. deſcripta, in quibus hæc: *Cùm iſta fusè ſacroſanctus dixiſſet Gregorius, irâ ſupra modum repletus eſt Tyridates, & acerrimè in eum fuit commotus: & vinctus quidem fuit ſtatim vir præclarus. Deinde cùm lignum ori eius immiſiſſent, quàm maximo poſſunt ſpatio, ſuperiorem partem diſiungunt ab inferiori, & eius humeros onerant glebis ſalis, qui eſt apud Armenios foſsilis: deinde funibus ſacroſancto corpori alligatis, cùm eum ſublime ſuſtuliſſent, totos ſeptem dies ei hoc acerbum producunt ſupplicium.* hactenus Gregorij Acta, quæ (ſi verum fateri velimus) dilucidè quidem nobis, qualis quàntáve fuerit huius generis ſuſpendendi immanitas, declarant. FIGVRA QVINTA A.

De octauo genere, nempe de aſtrictis melle perunctis ſub ardentiſsimo Solis æſtu, ſtipitibus erectis, vt morſibus muſcarum & fucorum affligerentur.

De hoc genere res geſtæ ſanctorum Mauritij, ſociorúmque eius à Surio relatæ tom. 4. & Marci Arethuſij à B. Gregorio Nazianzeno inuectiua 1. in Iulianum, à Theodoreto lib. 3. cap 7. à Sozomeno hiſtor. 5. cap. 19. à Nicephoro lib. 10. cap. 9. & à Surio pariter tom. 1. FIGVRA SECVNDA B.

Tribus modis in martyrum hiſtoriis reperiuntur fuiſſe Chriſtiani eamdem ob cauſam radiis Solis obiecti: aliquando ſimpliciter palis ligati, vt Mauritio, ſociiſque eius contigit: aliquando ſportis ex iunco confectis ſublati in altum, vt de Marco Arethuſio apud paulò antè à nobis citatos auctores legi poteſt: poſtremò (veluti B. Hieronymus in Pauli primi Eremitæ hiſtoria dat teſtimonium) humi poſiti, manibus poſt terga ligatis. Et hæc de his modis. De quampluribus modis, quibus Chriſtiani muſcarum & fucorum aculeis exponebantur.

Scribit Rodiginus antiq. lect. lib. 10. cap. 5. fuiſſe à veteribus hocmet ſupplicij genus Cyphoniſmus à Cyphone nuncupatum: *vnde Cyphon in Ariſtophanis Pluto*, ait ille, *id nominatur, quod ligneum erat vinculum, ſiue (vt nunc etiam) ferreum, vulgus Berlinam vocat*, quo quis videlicet (adde tu) ad ignominiam ligatus, detinebatur melle delibutus, ſic muſcis expoſitus: *hinc fit* (ſubiungit idem auctor) *vt improbis quoque* Cyphonis ſupplicium quale fuerit.

Cyphonis adhæſerit nomen, & Cyphoniſmus pro ſupplicio. deinde paulò inferiùs: *Apud quoſdam ita cautum animaduerto, vt quiſquis per audaciam, legum placita riſui habuiſſet, diebus viginti in archiuo,* (id eſt in loco quo ducebantur damnati ad mortem) *vinctus Cyphone perſeueraret nudus, melle ac lacte delibutus, vt apibus muſcíſque eſſet pabulum: dilapſis verò iis, muliebri indutus veſte, deturbaretur in præceps.* hæc Cœlius Rodiginus.

Scaphiſmus quid.

Eiuſmodi etiam aliqua ex parte illud tormenti genus erat, quo Perſæ (vt Eunapius in Maximo, & Zonara 1. Annalium teſtantur) ad delinquentes communi luce priuandos vtebantur; quod quidem ſcaphiſmus ab ipſis dictum inuenitur. Agit de eo Plutarchus in Artaxerxe his verbis: *Igitur Mithridatem ſcaphis necari iuſſit. Genus autem mortis ac ſupplicij huiuſmodi eſt: Duabus exædificatis ſcaphis inter ſe congruentibus in altera hominem, qui ad ſupplicium datur, reſupinant, alteram deſuper imponentes ſic ambas coniungunt, vt manus ac pedes foris excludantur, reliquum verò corpus totum intus claudatur. Præbent homini cibum, ſtimuliſque oculos fodientes, veſci vel inuitum cogunt: veſcenti autem pro potu lac melli admixtum in os infundunt, faciémque eodem conſpergunt; ſic eius oculos verſantes, ſcapham ſemper aduerſo Soli opponunt, & muſcarum inſidentium multitudine ora quotidie obteguntur. Cúmque intus ea faciat, quæ edentes, bibentéſque homines facere neceſſitas cogit, ex corruptione & putredine varij pullulant vermes, quibus intra veſtes penetrantibus, corpus abroditur. Cùm enim, perfuncto vita homine, ſuperior amouetur ſcapha, exeſa caro aſpicitur, & circa viſcera talium ferarum paſcentium, aliarúmque quotidie ſuccreſcentium multitudo apparet. Huiuſmodi ſuppliciis Mithridates excruciatus ad decimumſeptimum vſque diem calamitoſam vitam produxit, atque demum extinctus eſt.* hæc Plutarchus, à cuius verbis non differunt relata à Zonara tom. 1. Annalium, pag. 21. hæc enim ibi leguntur: *Perſæ atrocitate pœnarum omnes barbaros vincunt, ſcaphis & excoriationibus ſupplicia grauiora & diuturniora reddentes. Ceterùm quod de ſcaphis dixi, declarandum eſt ob imperitiores. Duas ſcaphas inter ſe pares coniungunt, ita inciſas, vt caput, manus, & pedes foras emineant; in quibus, eum qui ſupplicio afficitur, ſupinum reclinant: itaque ſcaphas clauis inter ſe compingunt: deinde potionem ex melle & lacte in os miſeri infundunt, donec ad nauſeam repleatur, cadémque & faciem & pedes & brachia eius perfundunt, & ſub dio ad Solem exponunt; & hoc quotidie faciunt ita fit, vt muſcæ, veſpæ, &*

Digitized by Google

apes liquorum ſuauitate allecta, faciei & reliquis membris è ſcaphis prominentibus inſideant, miſerum vexent & pungant. At venter eius lacte & melle diſtentus, liquida reiicit excrementa, è quibus putrefactis lumbrici & vermes ſcaturiunt: qui verò in ſcaphis iacet, in ſordibus illis carne putreſcente, à vermibus eroſus, & crudeliùs & tardiùs interit. Hoc ſupplicij genere Paryſatis Artaxerxis & Cyri mater eum ſuſtuliſſe fertur, qui ſe Cyrum cum fratre de regno pugnantem interfeciſſe gloriatus fuerat, per dies quatuordecim excruciatum. Ac ſcapharum ſupplicium huiuſmodi eſt. hactenus Zonaras In eamdem prorſus ſententiam ſcribit Rodiginus lectionum antiquarum lib. 10. cap. 5. Iſtiuſmet quoque generis cruciamenti meminit Eunapius in Maximo his verbis: *Nam ſcaphiſmus ſupplicium Perſis vſitatum pro tormentis huic allatis paruum fuerit.* ſic Sardianus. Ex hucuſque itaque dictis (niſi noſtra nos fortè fallat opinio) perfacilè & nullo negotio percipi poteſt, ſcaphiſmum non à ſcaphio, quod vas erat ſtercorarium, dictum eſſe, ſed à ſcaphis ligneis: & hoc quidem, partim quia prædictis in locis habetur, ambas illas ſcaphas clauis fuiſſe in vnum coniunctas atque vnitas, quod de ſcaphiis minimè aſſerendum: partim etiam quia ſcaphas illas fuiſſe, & non ſcaphia, ibidem legitur. Nec enim obſtat, ſi dicatur, ſcaphiſmum non à ſcaphis deductum, ſed à ſcaphio: quia videlicet non ſemper ſcaphis exhibitum reperitur, cùm aliquando corio bouis arido, quo ſic conſumendus inſuebatur, aliquæ martyrum res geſtæ, executioni mandatum nos doceant. Nam hæc ratio, ſi his, quæ ex Plutarcho & Zonara recitauimus, fides eſt adhibenda, nullius videtur momenti: & primò, quia intra ſcaphas duas, & non ſcaphia, narrant ambo huic generi mortis adiudicatos incluſos fuiſſe: deinde quia ſcaphiſmus (vt ex iiſdem auctoribus ſuprà ſcripſimus) ille erat, in quo ſic homo totus ſuis indutus veſtibus decem & ſeptem dierum ſpatio includebatur, vt caput cum manibus pedibúſque melle ac lacte delibutum promineret ad muſcarum & fucorum aculeos ſic perunctum: cuiuſmodi non fiebat illis, qui corio bouis inſuebantur; illorum enim per diem caput foris excludebatur, ceteris corporum partibus nudatis, & intra corium incluſis. Quocirca de Chryſantho martyre hæc in Actis eius cùm manuſcriptis, tum in lucem editis leguntur: *Auferentes eum ex eodem loco, excoriauerunt vitulum, & corio recenti cingunt eum nudum, & poſuerunt eum ad*

Scaphiſmi ſupplicium in vſu erat apud Perſas.

Scaphiſmus non à ſcaphio, ſed à ſcaphis dicitur.

Chryſanthus martyr nõ paſſus fuit ſcaphiſmum, ſed aliud genus cruciamenti ei aliqua ex parte ſimile.

Digitized by Google

Solem; ſed per totum diem in aſtu nimio & flagrantiſſimo Sole nullam omnino potuit calefactionem ſentire. Sed eadem, quâ fuerat, viriditate perdurans, corium in nullo potuit Dei famulum violare. Item poſuerunt catenas ferreas, & reliqua. hucuſque Acta; quibus erudimur, ſcaphiſmum ab hoc genere cruciamenti fuiſſe diuerſum, licèt ex aliqua parte illi ſimile, quatenus nimirum ſic corio recenti incluſi radiis Solis aduerſis exponebantur, vt fortaſſis & obcæcarentur, & à muſcis apibúſque afflictarentur, & intus ex corruptione vermium vi ſcaturiente, ſi modò diebus pluribus ita fuiſſent detenti, miſerè eorum corpora abſumerentur. At de ſcaphiſmo ſatis.

De conſimilibus cruciamentis. Conſimilia tormenta his quæ hucuſque à nobis ſunt declarata, multa videri queunt in Luciani dialogo, cui titulus eſt, Lucius, ſiue Aſinus, vbi hæc narrantur: *Mortis genus, quo hæc virgo longo dolore afflictatur, reperiundum eſt nobis.* & paulò pòſt: *Hunc aſinum* (inquit) *interficiamus primùm, tum ſcindamus ventrem, atque inteſtinis abiectis, intus virginem includamus, ita vt ſolum ſuperextet caput, ne e veſtigio ſuffocetur: reliquum corpus intra ventrem lateat: quo conſuto, ambos vulturibus eiiciamus nouo more preparatum cibum. Aduertite, quaſi, ad hoc tormenti genus. Primùm viua mortuo aſino inhærebit: deinde Sole vrente, in eius ventre decoquetur; inſuper fame ad mortem torquebitur, neque poterit ſeipſam perimere. Cetera, quibus excruciabitur, tum ex putrefacti cadaueris fœtore, tum ex vermibus ſcaturientibus, prætermitto. Vultures denique cadauer depaſti, & viuentem quoque vnà laniabunt. Ad hoc monſtro ſimile acclamantes omnes rem comprobauere.* hæc Lucianus. his ſimilia ſcribit Apuleius de Aſino aureo lib. 6. in fine his verbis: *Hunc aſinum iugulare craſtinò placeat, totiſque euacuato præcordiis per medium aluum nudam virginem inſuere, vt ſola facie prominente, ceterum corpus puellæ nexu ferino coërceat: tunc ſuper aliquod ſaxum ſcrupoſum inſititium aſinum exponere, & Solis ardentis vaporibus tradere,* &c. & lib. 8. eo in loco, in quo ſic habetur: *Arreptum ſeruulum eius, qui cauſam tanti ſceleris*, & quæ ſequuntur. Deinde alia item in Iulio Capitolino in Maximino atque in Macrino Imperatoribus, in Valerio Maximo lib. 9. cap. 2. de externorum crudelitate vltimo, in Suetonio Tranquillo in Caiji vita cap. 27. & in quamplurimis aliis, quos, vt poſſimus genera appendendi, quæ ſuperſunt, explicare, recenſere omittimus.

Digitized by Google

De nono & decimo appendendi generibus, nempe de vnco ſuſpenſis, & de laqueo necatis.

HORVM duorum modorum teſtes ſunt Acta martyrum: primi illa Niceti à Petro Catalogi 8. cap. 70. relata: alterius verò, beatorum Gorgonij & Dorothei ab Euſebio hiſtor. 8. cap. 6. à Nicephoro Calliſto lib. 7. cap. 6. & denique à veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manu exaratis. FIGVRA QVINTA. B.

De vndecimo ſuſpendendi genere, nimirum de ligatis ad columnas, pedibus non demiſſis ad terram.

DE hôc genere meminit Philæas Epiſcopus apud Euſebium hiſtor. lib. 8. cap. 11. his verbis: *Alij autem vultu alterius in alterum obuerſo ligati, & columnis, pedibus non ad terram demiſſis, appenſi, ſic vti cùm funes acriùs retraherentur & contentiùs, corporis grauitate ac pondere acerbiùs premerentur. Neque tantiſper ſolùm, dum Preſes cum illis quæſtione diſceptabat, illiſque examinandis vacabat, ſed per totum ferè diem iſtud ſupplicij genus ſuſtinuerunt. Quando autem ab illis ad alios profectus eſt, miniſtros ipſius auctoritati obſequentes reliquit, qui priores accuratè obſeruarent, ſi fortè quiſquam tormentis euictus cedere videretur; mandauítque vt acerbè & ſine remiſſione vlla funibus diſtorquerentur; & deinceps cùm iamiam eſſent animam acturi, ſurſum in terram demiſſi, paſſim miſerè raptaretur.* hucuſque Philæas: quæ verba (prout ex Græco ipſiuſmet Philææ ſermone in Latinum tranſtulit in mei gratiam admodum illuſtris & reuerendiſſimus dominus Sextilius Mazzuchius Epiſcopus Leſſanenſis) hoc modo ſe habent: *Alij autem ad columnas ligati ſunt vultu alterius in alterum obuerſo, pedibus non habentibus vbi inſiſterent; ita autem, vt cùm funes retrò traherentur, vel ſurſum traherentur, vel iterum atque ſæpius & intensè* (quæ omnia ſignificat verbum Græcum ἀνθελκομένων) *vim corporis grauitate afferrent;* & reliqua vt ſuprà. Ceterùm quo pacto hæc ſint intelligenda, cognitu eſt difficillimum: etenim non tantùm ex ſe apud Euſebium obſcura ſunt, ſed etiam à Nicephoro lib. 7. cap. 9. aliter repetita comperiuntur; hinc fit, vt & difficiles habeant explicatus, & vt in eis declarandis à diuerſis alioqui doctiſſimis viris, quos conſului, diuerſæ ſint adhibitæ expla-

Digitized by Google

nationes. Sunt enim, qui opinentur eam eſſe verborum Philææ ſententiam, vt velit docere nos, ita fuiſſe perſecutionum temporibus Chriſtianos ſublime appenſos, vt eorum pedibus, acerbioris cruciatûs gratiâ, eſſent marmoreæ columnæ alligatæ: quæ quidem interpretatio nulla omnino eſſe videtur; cùm nec verbis auctoris accommodari poſſit, nec difficultates, quæ ex huiuſmodi explicatione emanarent, tollere queat: quomodo enim ſubterfugere poſſemus verba illa, *Pedibus non habentibus vbi inſiſterent*, non fuiſſe ſuperflua? ſi enim columnæ erant ſanctorum martyrum pedibus appenſæ, pedes profectò non erant ad terram demiſſi: qua igitur ratione adduntur? Deinde quomodo illa alia fuiſſe impropria negare poterimus, videlicet, *Vim corporis grauitate afferrent?* certè, ſi columnæ erant pedibus ligatæ, vi columnarum, non corporis grauitate martyres premebantur: cur ergo Philæas non ſic in ſua notata epiſtola poſuit? Poſtremò quomodo deuitare etiam aliam difficultatem ex verbis eiuſdemmet Philææ exortam, quæ ſcripſit ille paulò ſuperiùs ab his quæ adduximus? namque ait: *Alij pependerunt ad porticum*, ſeu (vt textus Nicephori habet) *ad fornicem*, quod idem eſt, *vna manu affixi, & articulorum, membrorúmque diſtenſionem, quæ omnem doloris ſuperabat acerbitatem, pertulerunt. Alij autem ad columnas ligati ſunt, vultu alterius in alterum obuerſo, pedibus non habentibus vbi inſiſterent*, &c. Non igitur columnæ erant pedibus horum appenſorum alligatæ, ſed hoc modo appenſi ipſiſmet vincti tenebantur, & miſerandum in modum ſic detenti cruciabantur. Ex his quoque aliorum interpretatio refelli poteſt, quâ aſſeritur, id verba Philææ ſonare, vt indicent fuiſſe Chriſti athletas vultu alterius in alterum verſo ſimul ligatos, & ſic non columnis, ſed fornicibus, pedibus ad cælum tendentibus, ſuſpenſos: hæc, inquam, explanatio, ſi his, quæ ex Philæa dudum recitauimus, eſt fides præſtanda, falſa eſſe oſtenditur; ſunt enim huiuſmodi: *Alij ad fornicem vna manu pependerunt, alij autem ad columnas ligati*, & quæ ſequuntur. Sine dubio igitur ab ipſa veritate aliena eſſe, dilucidè, planéque conſtat. Præterea, ſi pedibus ad cælum verſis erant hi ſuſpenſi, cur addidit auctor, *Pedibus non habentibus vbi inſiſterent?* id eſt, ſitum; nam ſublime pedes ſitum non habent, ſed humi. Item ſi erant inter ſe colligati, vultu alterius in alterum obuerſo; quid

cauſæ

cauſæ fuit, vt non dixerit Philæas, Simul ligati, & corporum grauitate, non corporis? duos etenim martyres in vnum vinctos duo habere corpora oportet. His tandem interpretationibus reiectis, reliquum eſt, quid ipſi ſentiamus, aperire. Dicimus itaque, auctoris mentem eam fuiſſe, vt inſatiabilem illam crudelitatem ante omnium oculos poneret, quam inanium deorum amatores, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, in Chriſtianos exercuere: quamobrem hæc literis conſignata reliquit: *Alios vna manu appenderunt ad fornicem. Alij autem ad columnas ligati ſunt, brachiis* (vt multi Euſebij codices, quos vidi, habent) *poſt tergum diſtortis, & pedibus non habentibus vbi inſiſterent*, &c. perinde ac diceret: Quoſdam ex ſeruis Chriſti altera manu appenderunt ad fornicem; quoſdam alios deinde ad ipſaſmet columnas tantùm, quæ fornices fulciebant. Porro hanc verborum Philææ explicationem veram eſſe, ex his quæ hucuſque retulimus, ita planè apertéque apparet, vt nullo pacto noua id ratione confirmare ſit opus. Verùm, quod attinet ad modum, quo martyres columnis vinciebantur, non ignorare oportet (veluti coniecturis, ex prænotatis verbis Philææ factis, ducimur ad ſuſpicandum) fuiſſe huiuſmodi; vt in ſuperioribus columnarum partibus eſſent vel annuli ferrei, vel, quod nobis magis probatur, trochleæ aliquæ, per quas ductorij funes immitterentur, quibus poſtea ſancti martyres, brachiis poſt terga diſtortis, & vultibus ad columnas verſis, alligati ſurſum per totos dies à tortoribus aut traherentur, aut certè deorſum maximo cum impetu ab iiſdem demitterentur, ita tamen vt numquam terram ipſam contingerent: quod quidem ideo fiebat, vt dolorem ſuſtinerent illi vehementiorem; & poſt hæc cùm iamiam eſſent animam acturi, à carnificibus, annuente Iudice, rurſum ad terram demiſſi miſerè raptarentur. Lege, ſi libet, Euſebium, Nicephorúmque locis nuper citatis, vbi ſe ita rem habere comperies. Illud poſtremò te ſcire volo, non pugnare inter ſe prædictos auctores in recitando Philææ ſermone; quamuis alter illorum ſcriptum reliquerit, fuiſſe Chriſtianos columnis, vultu ad eas verſo, ſuſpenſos; & alter, ad ſeipſos: nam vel eidem columnæ duo martyres ſimul vinciebantur, vnus in vna parte, & alter in alia, vel ſaltem pluribus, vnus in vna columna, & alius in altera viciniore; ſic vt, ſi fieri potuiſſet, tam hi quàm illi

& columnas, & ſe inuicem aſpexiſſent. Ex his ergo conſequitur, prænotatos ſcriptores Nicephorum & Euſebium minimè inter ſe pugnantia fuiſſe locutos, ſed cohærentia, ſimúlque conformia. Atque de hoc appendendi genere ſatis.

De poſtremo genere, nempe de mulieribus Chriſtianis capillis ſuſpenſis.


FIGVRA PRIMA F.

HVIVS poſtremi generis teſtes ſunt quamplurimæ martyrum res geſtæ, Eulampiæ in primis à Surio tom. 5. deſcriptæ, Iulianæ à nobis in hiſtoria noſtra ſanctarum virginum externarum, Zoæ à notato Surio tom. 1. ſub ſancti Sebaſtiani martyris nomine, Theonillæ à Surio ſimiliter tom. 4. ſub ſanctorum Claudij, Aſterij, & ſociorum inſcriptione, Euphemiæ à Petro Catalogi lib. 8. cap. 84. & demum Symphoroſæ à Mombritio tom. 2. Et de modis ſuſpendendi in noſtros à Gentilibus adhibitis, hæc impræſentia viſa ſunt nobis dicenda. Videat lector, ſi alia his conſimilia ſcire cupit, auctores, Actáque martyrum paulo ſuperiùs citata, ſanctúmque etiam Gregorium Nazianzenum oratione 1. in Iulianum, vbi de Marco Arethuſio hæc ille ſcripſit: *A pueris ad pueros pendulus remittebatur, cul ris pennariis generoſum illud corpus excipientes, atque hanc tragœdiam inſtar ludi habentes,* & quæ ſequuntur. perinde quaſi diceret: Ad ſimilitudinem pilæ à pueris ad pueros pendens hic vir viciſſim mittebatur, &c. Eſſent alia eius generis multa, quæ breuitati potiſſimùm ſtudentes, omittere cogimur.

De Marco Arethuſio.

FIGVRA I.

A Martyr vno tantùm pede ſuſpendebatur.
B Martyr ambobus pedibus ſuſpendebatur, igne, vt ſuffocaretur ſuppoſito.
C Martyr in crucem, capite ad cælum eleuato, tollebatur.
D Item cruci, capite in terram verſo, affigebatur.
E Ambobus etiam brachiis appendebatur, eiúſque pedibus grauia pondera alligabantur.
F Mulieres Chriſtianæ capillis ſuſpendebantur.
G Martyres altero tantùm brachio ſuſpenſi, ſaxis ad eorum pedes alligatis.



Digitized by Google


FIGVRA II.

A Martyr vtroque pede ſuſpenſus, ingenti ſaxo ad eius ceruices alligato.

B SS. Martyres nonnumquam, vt muſcarum & fucorum aculeis excruciarentur, ſtipitibus erectis, melle delibuti, radiiſque Solis expoſiti appendebantur.

C Martyr altero pede in genu deflexo ſuſpenſus, & genu ferreo iniecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere grauato.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA III.

A Martyr pollicibus manuum ſuſpenſus, grauibus ſaxis ad pedes alligatis.

B Chriſtianis quoque ſuſpenſis lentus ignis ſupponebatur, vt fumo ex illo proueniente ſuffocarentur, virgíſque interea cædebantur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA IV.

A Martyr pedibus ſuſpenſus, cuius caput malleis contundebatur.

B Martyr manibus poſt tergum reuinctis ſuſpenſus, cuius collo & pedibus grauia pondera alligabantur.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA V.

A Martyr manibus poſt tergum ligatis ſuſpenſus, humeros habens oneratos glebis ſalis, immiſſùmque in os ligni fruſtum.

B Martyr vnco ſuſpenſus.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPVT II.

De Rotis, Trochleis, & Torculari, inſtrumentis torquendi.

EXPLICATIS generibus ſuſpendendi, crucéque & ſtipitibus, reliquum eſt modò aggredi ad alia crucian-di inſtrumenta pertractanda. At quoniam prænotata, equuleo addito, haud dubiè ceteris terribiliora horribilioráque videntur, idcirco de illis erit nobis hoc loco agendum, & de equuleo capitulo pòſt ſequenti. Iam verò ad rotæ ſupplicium, quod enumeratis grauius reputatur, accedentes, dicimus fuiſſe huiuſmodi genus cruciamenti Græcis vſitatum: & hoc quidem innumera nos pene eorumdemmet cùm certa, tùm aperta teſtimonia docent. Ariſtophanes ſiquidem in Pluto: *In rota*, inquit, *te alligatum oportet dicere, quæ malè egiſti.* & inibi Scholiaſtes: *Rota quædam erat, in qua alligati ſerui puniebantur.* Ad hæc prædictus Ariſtophanes in Lyſiſtrate: *Heu me miſerum!* (haber) *quænam membrorum conuulſio, quænam membrorum extenſio me tenet! tamquam ſim tortus in rota.* de eadem etiam meminit Anacreon apud Athenæum lib. 12. dicens: *Multa quidem poſitus in ligno paſſus ſum in ceruice, multa in rota.* Huic proximè accedunt Demoſthenes in Aphobum orat. 3. *Ponamus enim* (narrat) *Miliam in rota torqueri.* & Plutarchus in Nicia, vt in Græcis codicibus legitur: *Cùm tonſorem rotæ alligatum ampliùs torquere cœpiſſet.* & lib. de audiendis Poëtis: *Rotæ affixum.* & de loquacibus: *Cùm dereliquerint in rota alligatum,* & cetera. Item Lucianus in epiſt. ad Steſicorum, his verbis: *Qui autem circa extremitates circumcidebantur, torti ſunt, & in rotis diſtenti.* & Suidas verbo rota: *Rota*, ait, *erat inſtrumentum tortorium, & extendens corpora. Vnde Ariſtophanes: In rota flagellatus trahatur. Sic ſerui in rota ligati verberabantur. Et rurſus: In rota oportet te dicere, quæ malè egeras. Item torqueri in rota inquiſitos, vt detegant quæ cum aliis conſcij ſunt, & quæ iniuſtè egerunt. Similiter rota lignum quoddam erat, in quo ligati ſerui puniebantur.* hæc Suidas. His conſentientia ſcribere videtur Phalaris in vna ex ſuis epiſtolis, in

qua, *In rotis* (legitur) *flectebantur, ſeu vertebantur.* In horum denique confirmationem adiici poſſunt ea, quæ cùm à quibuſdam ex ſupradictis auctoribus, tum ab aliis de Ixione rotæ volubili alligato, & perpetuò in illa, vt pœnas meritas debitáſque perſolueret, volutato, narrantur. ſunt hi Pindarus in Pythia ode 2. Scholiaſtes eodem loco, & Homeri Iliados primo Didymus, & Odiſſeæ 21. Lucianus in Deorum dialogis in Iunone. Ouidius in inferorum pœnis deſcribendis metamorph. 4. Propertius elegiarum lib. 4. elegia vltima, Seneca, & demum Claudianus Alexandrinus de raptu Proſerpinæ lib. 2. Præterea de rotæ tormento meminerunt etiam alij, nimirum Ioſephus lib. de Machabæis 5. ſic autem habet: *Aliqui noluerunt pollutos cibos edere: hos in rota tortos iuſſit interfici.* ibidem: *Ad hæc rotas para, & ignem effla vehementiùs.* & cap. 8. *Vt autem & rotas & fidiculas appoſuerunt ſatellites, ſubiungit Tyrannus*, &c. idem cap. 9. *Vnde iuſſi ſatellites ſeniorem ipſum adduxerunt, & tunicâ diſruptâ, ipſius manus & pedes ligauerunt loris vtrinque: vt autem qui verberabant flagellis, defeſſi ſunt, cùm nihil proficerent, eum circa rotam erexerunt, circa quam extenſus generoſus iuuenis articulis diſruptus eſt, & omnia eius membra fracta ſunt.* poſt pauca: *O ſceleſti miniſtri, dixit iuuenis: Rota non ita eſt vobis potentior, vt meam rationem ſuffocet: incidite mea membra, & ignite carnes, & torquete articulos ſtreblis. Sic eo dicente, ignem ſubſtrauerunt, & diniſerunt, per rotam inſuper extendentes. Polluebatur autem vndique rota ſanguine; & conditorium, vbi ſtrues erat carbonum, ob guttas cruorum qui profluebant, extinguebatur, & circa inſtrumenti axes circumfluebant carnes, & circumquaque inciſam iam habens oſſium coniunctionem. Magnanimus autem Abrameus iuuenis non ingemuit, ſed ac ſi in igne transformaretur in incorruptionem, generosè ſuſtinebat ſtreblas*, id eſt, tormenta. Et cap. 10. idem: *Arthrembolis organis & manus & pedes illius in articulis diſruperunt, & ex compagibus amouentes vectibus detruncabant, & digitos, brachia, crura, cubitos compungebant: & cùm nulla ratione eum vincere poſſent, corium cum ſummis digitorum detrahebant, & ſtatim ad rotam adduxerunt, circa quam è verticulis membrorum confractus videbat ſuas carnes diſſectas, & è viſceribus guttas ſanguinis defluentes.* Et cap. 10. ſic: *Satellites eum ligatum traxerunt ad catapultas: ad quas cùm eum ligaſſent ad genua, & hæc cum laqueis ferreis conglutinaſſent, ipſius lumbum circa rotundum cuneum deflexerunt, circa quem totus circa rotam repercuſſus*

Streblæ inſtrumentum erant ad luxandos artus accõmodatum, ſicuti etiam Arthrembolæ.

Catapulta nonnumquã ſumitur pro machina bellica ad iaciẽdas

Digitized by Google

ſagittas fabricata, ſicuti baliſtæ ad iaciendos lapides; hic autem ſumitur pro inſtrumento torquendi. hinc Suidas ait eſſe tormenti genus, dicens, vinculis manuum, catapultis pedum. & Plautus, *se nervo torquebat itidē, ut catapultæ ſolent.*

confringebatur. Et paulò pòſt: *Adiunxerunt*, ait, *ad rotam, in qua diſtenſus ſuccendebatur, & verua acuta & ignita afferebant dorſis, & latera penetrantes, & viſcera penetrando vrebant.* hæc Ioſephus à Reuerendiſſ. Epiſcopo Leſſanenſi, de quo ſuprà cap. præcedenti fecimus mentionem, noſtris precibus Latinitate donatus: præter quem, de rotis etiam nonnulli alij, vt Apuleius de Aſino aureo lib. 3. *Nec mora*, inquit, *cum ritu Gracienſi ignis, & rota, tum omne flagitiorum genus inferuntur.* & lib. 10. *Nec rota, vel equuleus more Græcorum tormentis eius apparata iam deerant.* Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 5. *In eo etiam putatur dicere in rotam vitam beatam non aſcendere.* hæc ille. Virgilius Æneid. 6. *Radiiſque rotarum Diſtricti pendent.* Iulius Capitolinus in Macrino ſic: *Tribunum, qui excubias deſeri paſſus eſt, carpento rotali ſuperannexum per totum iter viuum atque exanimem traxit.* Ammianus Marcellinus lib. 21. & S. Baſilius homil. in 40. his verbis: *Ignis inſuper paratus, enſis in promptu, crux affixa, bothrus, rota, flagella.* & homil. in ſanctum Gordium Centurionem: *Corpus rotis ſcindatur.* Gregorius Nazianz. orat. 22. in laudem Machabæorum, & Nicephorus lib. 7. cap. 14. de hiſmet rotis pluta. Prærer hos omnes, Acta martyrum nonnulla, nominatim Pantaleemonis, aliàs Pantaleonis à Meraph. Surij tom. 4. relata, à Mombritio tom. 2. & à veteribus manuſcriptis cùm noſtris, tum aliorum in Sanctorum feſtiuitatibus menſe Iulio celebrari ſolitis: Clementis Ancyrani ab eodem Sutio ex eodem Metapht. tom. 1 Chriſtinæ virginis à codicibus noſtræ bibliothecæ manu exaratis, à Petro lib. 6. cap. 130. & Mombritio tom. 1. Calliopij à Metaphraſte Surij tom. 2. Georgij, & Catherinæ virginis à veteribus manuſcriptis, & à Metaphraſte prædicto, primi apud Surium tom. 2. & alterius, id eſt, Catherinæ, apud eumdem tom. 5. Euphemiæ item virginis à Momb. tom. 1. & SS. Felicis ac ſociorum à Petro lib. 4. cap. 83. & à Surio tom. 5.

Bothrus (vt legimus tertio Annalium Eccl.) idem erat quod Culeus, de quo inferiùs ſuo loco.

Rotæ itaque (ſicut ex martyrum hiſtoriis potiſſimùm collegimus) non vnius tantùm generis extitere, ſed multiplicis: aliquæ ſiquidem, quæ in rebus geſtis Sanctorum machinæ nuncupatæ reperiuntur, latæ & magnæ, aliquæ verò arctæ: & de vtriſque erit nobis hoc loco agendum.

FIGVRA PRIMA A.

Quod igitur ad rotam primi generis ſpectat, de qua Nicephorus, & Pantaleemonis Acta; ſciri debet, adinuentam fuiſſe, vt in montem aliquem excelſum allata, ibi conuexo

Digitized by Google

eius reus vinciretur, & deinde ex eiuſdemmet montis eacumine ſimul cum damnato per præcipitem lubricámque viam vi deorſum, ad ſingula alligati membra comminuenda, demitteretur; quocirca de glorioſiſſimo Chriſti martyre Pantaleemone hæc in eius rebus geſtis, quas in noſtræ bibliothecæ veterum manuſcriptorum tom. 6. habemus, leguntur: *Et dixerunt ei; Iube fieri rotam magnam, & tolli in altum montem, & alligari eum fac ſuper rotam, & demitti deorſum per montem, vt carnes eius malis pœnis diſſipentur, & ſic ſpiritum reddat. Ductus eſt autem beatiſſimus Pantaleemon in carcerem, donec fabricaretur rota: cúmque facta fuiſſet, præcepit Iudex, vt nunciarent præcones per ciuitatem, vt congregarentur omnes expectantes perditionem beati Pantaleemonis, & iuſſit eum adduci. Cùm autem duceretur ſanctus Chriſti martyr, pſallebat Domino in Chriſto: & tenentes eum miniſtri, ligauerunt eum ſuper rotam; & cùm cœpiſſent voluere rotam, ſtatim ligaturæ ruptæ ſunt, & ſanctus martyr ſtabat incolumis; rota autem currens occidit de gentibus animas,* &c. hucuſque Acta: quibus ſanè docemur, veriſſima eſſe quæ de primi generis rota aſſeruimus.

Fuerunt in Chriſtianorum carnificina ipſis Gentilibus vſui quædam rotæ latæ, quæ conuexa, quibus ij ligabantur, habebant gladiis, clauiſque acutis, & aliis his ſimilibus adacta. huiuſmodi ergo rotis, quæ in aëre pendentes ſtabant, martyres nudos miniſtri iniquitatis funiculis vinciebant, quos deinceps ſimul cum ipſiſmet rotis ſupra ferrea quædam terræ affixa pungentia atque ſcindentia maximo cum impetu iterum atque iterum voluentes, erant in cauſa, vt carnes hoc ſupplicio affectorum miſerandum in modum diſcerperentur, atque dilacerarentur. In conſimili rotæ tormento putamus B. virginem Chriſti Catherinam martyrio coronatam fuiſſe, vt Acta, tam à Metaphraſte deſcripta, quàm veteribus manuſcriptis contenta, aliqua ex parte demonſtrant. FIGVRA TERTIÆ A.

De Rotis alterius generis.

ROTIS quoque non tantæ latitudinis, quantæ prædictæ, vtebantur dæmonum cultores ad Chriſti fideles excruciandos; in quorum conuexis ſæpiſſime ſic acutos clauos, & id genus alia configebant, vt eorum cuſpide ſurſum verſo ipſis eminerent rotis. his itaque hoc modo diſpoſitis, ligabant mar- FIGVRA SECVNDA B.

Digitized by Google

tyres, qui cùm ab illorum acumine, tum ab aliorum quorumdam, quæ terræ fixa inerant, miſerè dilaniabantur. Vnde in Actis S. Georgij à Metaphraſte Surij tom. 2. recitatis hæc narrantur: *Iubet igitur Imperator, rotam mucronibus afferri vndique præfixam, ad eámque virum ſanctum alligari*, id eſt (vt vetera manuſcripta) ſuper eam. Deinde Acta: *Paratíſque in ea gladiis dilacerari. Pendebat in aëre rota, inferiùs autem aderant tabulæ, in quibus denſiſſima erant ſpicula præfixa, gladiis ſimilia, partim rectas habentia cuſpides, partim aduncas ad hamum ſimilitudinem, partim cultros coriarios imitantia. Cùm igitur rota per gyrum tabulis appropinquaret, & vir ſanctus tamquam agnus tenuioribus loris & funiculis ita conſtrictis, vt intra carnem abſconditi inhærerent, vinctus eſſet, & per gladios, voluente rota, tranſire cogeretur, acutiſſima eorum acie corpus exceptum dilaniabatur, & ſcorpij more contortum diſſecabatur.* hucuſque res geſtæ.

Obſeruare hoc loco imprimis oportet, conſueuiſſe Gentes, martyres rotis alligatos, virgis ac fuſtibus, dum in ipſis voluebantur, crudeliter cædere: cuius rei Acta B. Clementis Ancyrani ſuprà citata his verbis exhibent teſtimonium: *Iubet Præſes rotæ martyrem*, id eſt Clementem, *ligari, & rotam quidem verti magno impetu, martyrem autem virgis verberari crudeliſſimis: ſtatímque martyr fuerat alligatus rotæ: rota verò vertebatur celeriter: martyr autem quando erat quidem in rota ſublimi, tradebatur iis qui verberabant: quando verò rota eum ſub ſe ferebat, corpus eius acerbè conſcindebatur, & oſſa conterebantur.* hæc Acta, quæ planè dicta à nobis ſuperiùs confirmant.

Sciri inſuper debet, non ſatis Gentilibus fuiſſe ad odium ſuum in noſtros conceptum explendum, tot genera cruciamentorum, quibus Chriſtianos rotis vinctos affligebant; quin etiam eamdem ob cauſam noua alia excogitare non deſiſtebant: hinc fiebat vt eos rotis nonnumquam mucronibus vndique affixis ligatos ſuper appoſitum ignem maxima cum velocitate ſemel atque iterum ac ſæpius circumagerent: quare eo prorſus modo, quo carnes verubus fixæ, & igni admotæ aſſari coquíque ſolent, ita pariter ſic circumuoluti, vt Chriſti mundus panis efficerentur, aſſabantur. Vide Acta à nobis nuper notata Chriſtinæ virginis, & Calliopij martyris, in quibus hæc ſcripta comperies: *Rotam, inquit*, Præfectus ſcilicet, *ſatellitibus ſuis, collocate, & magnum ignem ſuccendite. cui tanta vi alligatus eſt adoleſcens, vt totus diſcerperetur.*

FIGVRA TERTIA B.

Statim

Statim igitur accedens Angelus Dei, flammam carbonum extinxit; & miniſtri cùm vellent rotam voluere, non poterant: delicata autem ipſius membra totam rotam ſanguine conſperſerunt; erat enim acutis gladiis circummunita. hactenus Calliopij res geſtæ. Rotis ergo ligati martyres, & cum ipſis ſuper ignem circumacti, ad nobiliſſimam martyrij palmam fauſtè, feliciter, proſperéque peruenire meruerunt.

Præterea mos fuit apud eoſdem impios homines, vt in ſingulis rotarum interſtitiis, prædictis adhuc arctioribus, ſic membra Chriſti fidelium vectibus primùm ferreis confracta immittere atque inſerere curarent, vt quaſi intexti radiis viderentur: deinde rotas in erectorum ſtipitum terra fixorum eminentiori parte collocantes, diu hoc prorſus modo eos viuere ſinebant. Huiuſmodi cruciatu, cuius etiam meminit Gregorius Turonenſis de rebus geſtis Francorum lib. 6. cap. 35. Valentiæ in Gallia in Eccleſiaſticis tabulis affecti reperiuntur Felix presbyter, Fortunatus & Achilleus diaconi, qui à beato Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo illuc ad prædicandum Dei verbum directi fuerant. Lege eorum Acta à Petro relata lib. 4. catalog. cap. 83. à Surio tom. 2. & à Martyrologiis nono Kalend. Maij. FIGVRA SECVNDA A. De martyribus radiis rotarum intextis.

Valde inſuper nobis probatur, rotas illas, quæ (ſicut in aliquibus martyrum Actis legitur) erant vſui ad Chriſtianorum corpora extendenda, vel fuiſſe trochleas, vel equuleum, (his enim, quæ rotulas aliquas continebant, vnde & rotæ poterant nuncupari, Chriſti fidelium corpora potiſſimùm diſcerpebantur) vel certè non fuiſſe à rotis antè dictis diuerſas, ſicuti Calliopij res geſtæ paulò antè à nobis citatæ non obſurè innuere videntur: namque habent, tanta vi rotæ fuiſſe funiculis alligatum, vt antequam tortores eam circumagere inciperent, iam fuerit ſanctus iuuenis dilaniatus totus, totúſque diſcerptus. Et de hoc acerrimo cruciatus genere ſatis. De rotis quibus martyrum corpora extendebantur.

De Trochleis.

TROCHLEARVM, quæ martyrij erant inſtrumenta, mentionem faciunt Euſebius hiſtoriæ lib. 8. cap. 10. & Sanctorum Acta quamplurima, ſpeciatim Criſpini & Criſpiniani à Surio tom. 5. recitata, Fereoli presbyteri, & Ferutij diaconi à Petro catal. lib. 5. cap. 120. Quintini ciuis Romani à Surio tom. ſi-

Digitized by Google

militer 5. Sanctorum ſeptem fratrum à Mombritio tom. 1. & à veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manu exaratis ſub B. Symphoroſæ eorum matris inſcriptione; Benigni item presbyteri à Mombritio tom. 1. & à Petro lib. 10. cap. 3. Præterea meminit etiam de trochleis Gregorius Turonenſis de rebus geſtis Francorum lib. 5. cap. 49. cùm ait: *Extenſus ad trochleas cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus*. & lib. 6. cap. 8. *In terra extenditur ad trochleas, virgis ac fuſtibus cæditur*. & cap. 35. *Tunc extenſus ad trochleas, tandem loris triplicibus cæſus eſt*. & lib. 7. cap. 32. *Rex furore ſuccenſus iuſſit eos ad trochleas extendi, & fortiſſimè cædi, vt ſi vera, &c.* hæc Gregorius Turonenſis, cuius citata capita ſi attentiùs ſpectentur, colligetur ſine dubio eiuſmodi tormenti genere maleficos præcipuè, impióſque homines & homicidas tortos & excruciatos fuiſſe: quocirca nulli mirum eſſe debet, ſi veri Dei cultores pro eius honore pugnantes à Gentibus fuerint vel trochleis extenſi, vel eleuati; ab his etenim omnium hominum & ſceleratiſſimi & flagitioſiſſimi habebantur.

Quinam eſſent, qui trochleis excruciarentur.

Trochlea quid ſignificet.

Trochlea quid.

TROCHLEA (vt ex Vitruuij lib. 10. cap. 2. 3. 4. 5. & 11. conſtat) tractorij generis eſt machina, cum æreo, aut ligneo orbiculo, ſiue rotula, quæ per axiculum verſatur, traiecto fune ductario. vtimur hac machina, vel ſubleuandis ad altitudinem & operum collocationes oneribus, vel demittendis, vel ſaltem iiſdem hinc inde aſportandis, & denique haurienda è puteis aqua. Ceterùm trochleæ (teſte Iſidoro etymolog. lib. 19. cap. 11.) fiunt ad ſimilitudinem, Θ, litteræ Græcæ octauæ, nominantúrque à trochlis, id eſt rotulis. Ex his ergo conſequitur, erraſſe ex recentioribus, qui trochleam, ergatam, id eſt, arganum (vt vocant) eſſe putarunt: nam licèt non poſſit trochlea damnatorum corpora diſcerpere abſque ſpeciali alicuius adminiculo, ſiue pali, cui eſſet alligata, ſiue machinæ, quæcumque illa fuerit; non tamen ex hoc inferri debet, ergatam fuiſſe, ſed tantummodo indiguiſſe aliquo: & hoc nos aſſerimus. Quoniam enim ſæpiſſime huiuſmodi cruciatus genere reorum corpora miſerabiliter extendebantur; idcirco nobis valde probatur, duritiam præcipuè diſcerpendi corporis, & commoditatem facilitatémque tortorum

Trochlea vnde dicatur.

De trochleis quid ſenſerint quidam ex recentioribus.

Quænã erat machinula, quæ ſimul cum trochleis erat in vſu apud veteres ad damnatorũ corpora diſcerpẽda.

ſpectantibus, adhibitam fuiſſe etiam machinulam aliquam, videlicet ergatam, aut quid ſimile. lege, ſi libet, loca Vitruuij, de quibus ſuprà fecimus mentionem, & planè videbis trochleam non eſſe ergatam, nec ergatam trochleam. Denique vnum quoque te aduertere volumus, nempe figuratam eſſe in quarta huius capitis figura ergatam cum trochlea, non quaſi vnum & idem illa eſſent; ſed vt oſtenderemus probabilitate non carere, fuiſſe reos, ob eam quam nuper tetigimus rationem, ambobus hiſce inſtrumentis dilaniatos. Diximus, non improbabile, quia aliis modis contingere potuit, vt fortè contigit.

Verùm modus, quo Chriſtiani hoc inſtrumento torquebantur, erat huiuſmodi. Defigebantur primùm humi tot ſtipites, quot erant hoc ſupplicio afficiendi; deinde à conſtitutis miniſtris martyres manibus quandoque, quandoque pedibus, hinc funibus trochlearum, hinc ſtipitibus alligabantur: quo facto, tractis iuſſu Iudicum funiculis, miſerè ipſorum corpora extendebantur. Hæc omnia indicant Acta filiorum B. Symphoroſæ martyris ſuperiùs citata, & Gregorius Turonenſis pariter lib. 6 de rebus geſtis Francorum cap. 8.

FIGVRA QVARTA B. De modo, quo martyres trochleis dilaniabantur.

Scire hìc poteris, hoc ſupplicio damnatos (vt ex rebus geſtis Quintini & Ferutij martyrum, & locis Gregorij Turonenſis dudum notatis patet) fuiſſe illomet temporis ſpatio, quo trochleis diſcerpebantur, aut fuſtibus cæſos, aut facibus adustos, aut denique ſulphure, reſina, oleóque feruentibus, & conſimilibus perfuſos. Quamobrem in Actis B. Quintini hæc verba conſcripta reperiuntur: *Tunc Præfectus tyrannico furore commotus, ſanctum Quintinum intantum trochleis torqueri præcepit, vt membra eius à ſuis iuncturis vi duriſſima ſolui cogerentur: reſticulis inſuper ferreis eum cædi, & oleum candens, & picem, & adipem feruentiſſimum dorſo infundi iuſſit, ne quid pœnæ aut cruciatus corporeis deeſſet doloribus: ſed cùm hæc necdum ſatisfacerent inſaniſſimo Rictiouaro (ſic enim nominabatur Præfectus) ad ſatiendam eius ſitis immaniſſimam rabiem, applicari etiam faces ardentes iuſſit, vt vel flammis*, &c. hucuſque res geſtæ beati martyris Quintini.

Quæ patiebantur martyres, dum trochleis extendebantur.

Martyres trochleis eleuati.

FIGVRA QVINTA A. Martyres trochleis eleuabantur.

POSTREMO loco animaduertere poſſumus, Chriſtianos non tantùm trochleis fuiſſe extenſos, verùm etiam in ſublime

iiſdem eleuatos, eo modo, quo temporibus iſtis rei mortis, reuinctis poſt terga manibus, extorquendæ veritatis causâ, fune eleuari ſolent. Hoc cruciatus genere affectus legitur ſanctus Chriſti martyr Seruus, de quo ſeptimo Idus Decemb. hæc in Martyrologio Romano: *Tuburbi in Africa natalis ſancti Serui martyris, qui in perſecutione Wandalica ſub Hunnerico Rege Ariano fuſtibus diutiſſimè caſus, trochleis frequenter in ſublime eleuatus, atque ictu celeri ſuper ſilices pondere corporis demiſſus, & lapidibus acutiſſimis perfricatus, martyrij palmam adeptus eſt.* hactenus Martyrologium Romanum. de hoc eodem martyre plura Victor de perſecutione Wandalica lib. 3.

Sancti Serui martyrium.

De Torculari.

FIGVRA QVARTA C.

PREMEBANTVR Chriſtiani torcularibus, eo prorſus modo, quo vuæ oliuæque, ad vinum atque oleum exprimendum, iiſdem premuntur. Cruciatus fuit huiuſmodi martyrio præclariſſimus Chriſti miles Ionas, de quo in Actis eius ab Iſaia Adami filio ſcriptis Lipomani 7. & Surij 2. hæc narrantur: *Torcular afferri iuſſerunt*, ſcilicet Magi Perſarum, *& in eo Sanctum*, id eſt Ionam, *poni, vehementérque comprimi, ac diſſecari. Fecerunt miniſtri imperata, ipſúmque in torculari compreſſerunt, & omnia illius oſſa confregerunt, deinde ipſum medium diſſecuerunt.* hæc ibi.

De cochlea.

Ceterùm interpres, vbi nos torcular poſuimus, cochleam vertit; & certè, ni fallimur, minùs propriè: nam (vt inquiunt Acta) poſitus fuit S. Ionas in ea machina, in qua compreſſus, ſingula eius oſſa fuere confracta. At quis iam non videat non fuiſſe vertendum cochleam, ſed potiùs inſtrumenti preſſorij nomen, nempe torcular? In cochlea ſiquidem (quæ in torculari eſt lignum erectum clauiculatim ſtriatum, quo prælum, dum vertitur, aut attollitur, aut demittitur) nulla res ponitur, vt comprimatur; hoc enim (vt docet Columella lib. 8. cap. 50. & experientia ipſa pariter) fit ſub tabula illi affixa, quæ prælum nuncupatur. Non debuit igitur interpres cochleam, ſed magis torcular exprimere. Verùm id fortaſſe non curauit, vel quia partem pro toto deſumpſit, vel quia verbis Græcis nimis addictus fuit: Græcorum namque mos eſt, vt nonnunquam inſtrumenta cum *in* præpoſitione conſtruant, vt verbi gratiâ, Diligo te in toto corde meo; &, appareo tibi in ve-

Prælum in torculari quid ſit.

Digitized by Google


ſtibus albis: id eſt, corpore veſtibus albis indutus appareo tibi; & corde, quod intra me eſt, eo toto, amore te proſequor. Quocirca poni in cochlea, eſt poni in inſtrumento cochleam habente; & in cochlea comprimi, eſt exiſtentem in machina cochleam ſimiliter habente, ea comprimi. Ceterùm quia (vt diximus) plus æquo fuit interpres verbis Græcis addictus, idcirco mirandum minimè eſt, ſi ſententiam auctoris non bene verbis Latinis expreſſerit: locutionem etenim Græcam ad verbum in Latinam vertit. Et de rotis, trochleis, & torculari hactenus.

Digitized by Google

FIGVRA I.

A Martyres rotarum conuexis illigati, è ſublimi per fragroſa loca præcipitabantur.

Digitized by Google



A

FIGVRA II.

A Martyr rotæ radiis intextus, ſic ad plurimos dies, vt interiret, relinquebatur.

B Martyr anguſtæ rotæ affixus, & circumactus, vt miſerè à ſuppoſitis ferreis cuſpidibus dilaniaretur.

Digitized by Google



F

Digitized by Google

FIGVRA III.

A Martyr nudus rotæ illigatus, ſuper cuſpides ferreos circumagebatur.

B Martyr rotæ conuexo illigatus.


Digitized by Google


A
B

FIGVRA IV.

A Trochlea.
B Martyres trochleis extendebantur.
C Torculari premebantur.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA V.

A Martyr fune in ſublime eleuatus, ſæpiúſque ſuper acutos ſilices demiſſus.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPVT III.

De equuleo martyrij inſtrumento, atque de quamplurimis vinculorum generibus.

De equuleo.

MEMINERVNT de equuleo torquendi inſtrumento cùm Cicero, tum alij multi: Cicero pro Deiotaro, & pro Milone, 7. item in Verrem, & Philip. 11. in Antonium: alij verò, vt Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Quintilianus declamatione vltima, Seneca lib. 3. de ira cap. 3. & 19. & epiſtol. 66. & 67. Ammianus Marcellinus lib. 14. 16. & 18. & res geſtæ Martyrum ferè innumeræ, ſpeciatim Creſcentiani à Surio ſub inſcriptione B. Marcelli Papæ relatæ tom. 1. Dorotheæ virginis ab eodem tom. ſimiliter 1. & à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, Concordij martyris à Mombritio tom. 1. & à prædicto Surio tomo pariter 1. Pontiani à Petro catalog. lib. 2. cap. 101. Agathæ à Surio tom. 2. & à veteribus manuſcriptis cùm noſtræ bibliothecæ, tum aliorum; Acta item Eulaliæ virginis à nobis in hiſtoria noſtra Sanctarum virginum externarum recitata; ſimiliter Neſtorij à Surio tom. 1. & à Petro lib. 3. cap. 152. Felicis & Fortunati ab eodem Petro catalog. lib. 4. cap. 83. Antoninæ à Romano Martyrologio pridie Idûs Iunij, Felicolæ virginis à nobis in noſtra Sanctarum virginum Romanarum hiſtoria, Proceſſi & Martiniani à Mombritio tom. 2. Ianuarij & Paulæ à Petro lib. 5. cap. 85. Gundenæ virginis à Martyrologiis 14. Kal. Auguſti, & à Petro lib. 6. cap. 112. Iuſtæ & Rufinæ virginum à Petro viciſſim lib. prædicto cap. 117. Secundiani, Marcelliani, & Veriani à Mombritio tom. 2. & à Petro lib. 7. cap. 41. Reginæ virginis à Mombritio etiam tom. ſuperiùs citato, Euſebij & ſociorum à veteribus noſtris manuſcriptis, & à Mombrit. tom. 1. & à Petro catalog. lib. 7. cap. 111. Geneſij à codicibus tam noſtræ bibliothecæ manu exaratis, quàm aliorum, inſuper à Surio tom. 5 à Mombritio tom. 1. & à Petro lib. 7. cap. 110. Fauſti, eiúſque ſociorum à Martyrologiis quibuſdam, & ab auctore Theſauri concionatorum part. 2. Vincentij nobiliſſimi martyris à veteribus noſtris manu-

manuſcriptis, atque aliorum, Alexandri Epiſcopi à Petro catalog. lib. 8 cap. 102. & à Romano Martyrologio 11. Kal. Octobris, Theodori militis à non excuſis bibliothecæ noſtræ libris, atque à Martyrologiis quinto Non. Nouembris; Maximi diaconi à Petro lib. 9. cap. 85. Baſſi Epiſcopi ab eodem lib. 1. cap. 30. & ad extremum Marini à Mombritio tom. 2. & aliorum vtriuſque ſexus innumerabilium.

Ad hæc, præter auctores, Actáque nuper citata, faciunt quoque de equuleo mentionem S. Cyprianus in epiſtola ad Donatum 2. & lib. de laude martyrij, & ſermone de lapſis; S. Hieronymus epiſt. ad Innoc. 49. B. Auguſtinus epiſt. 59. ad Marcellin. Euſebius lib. 8. cap. 11. Iſidorus lib. 6. etymol. cap. vlt. Prudentius in ſuis hymnis ſæpiſſime, & quidam recentiores magis diffusè, vt Sigonius lib. 3. de Iudiciis cap. 18. Iacobus Pamelius in Cyprianum, in illa verba quæ in ſermone de lapſis leguntur; *Nunc equuleus extenderet, nunc vngula*, &c. & alij. Conueniunt iſti, fuiſſe equuleum torquendi inſtrumentum inſtitutum olim ad exprimendam è noxiis conſciiſve veritatem. ſic Cicero pro Deiotaro, vbi ait: *Cùm more maiorum de ſeruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat; in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſit etiam ab inuito; extortus eſt ſeruus, qui quem in equuleo appellare non poſſit, eum accuſet ſolutus.* & pro Milone: *Sed quæſtiones, vt vrgent Milonem, quibuſnam de ſeruis?* item: *Facta in equuleo quæſtio eſt, iuris in iudicio.* & Tuſcul 3. ac lib. 4. de finibus bon. & mal. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. externorum. 2. de Zenone Eleazate, & 3. de Zenone altero, & 5. de Theodoro Syracuſano, & lib. 8. cap. 4. de M. Agrij ſeruo, de Alexandro ſeruo Fannij, & demum de Philippo Fuluij Flacci. Idem affirmare videtur Ammianus Marcellinus lib. 18. dum ait: *Quamquam incuruus ſub equuleo ſtaret, pertinaci tamen negabat inſtantiâ.*

Tranſlatus eſt inde equuleus ad cruciandos homines, & acerbiore ſupplicio afficiendos: quod in Chriſtianis martyribus patuit; quamobrem crebra eius in rebus geſtis ipſorum his verbis fit mentio: Equuleo tortus, Equuleo cruciatus, In equuleo ſuſpenſus, In equuleum leuatus, in equuleum actus, & conſimilia. In hoc igitur, quod hucuſque diximus, nempe fuiſſe equuleum tormenti genus, quo ad extorquendam de reis veritatem vtebantur antiqui, non differunt inter ſe ſcriptores, ſed in eius dumtaxat perfecta definitione

Digitized by Google

Sententiæ de equuleo diuerſæ.

ac forma explicanda. Quidam enim, ardentem fuiſſe laminam, ſcriptum reliquerunt. Quidam alij, tormenti genus, quo vinctis supernè manibus, & appenſis vtrique pedi grauiſſimis ponderibus, pendens homo immaniter torquebatur.

Sigonij ſententia de equuleo.

Alij verò, vt Sigonius, & religioſi quidam eum ſecuti, cataſtam ligneam cochleatam ad intendendum & remittendum aptam, atque ad torquendos homines, vt facti veritas eliceretur, inſtitutam: *Ceterùm* (inquit) *tormenti genus erat huiuſmodi: vbi cataſtæ huic brachia pedéſque eius qui torquendus erat, neruis quibuſdam, qui fidiculæ dicebantur, alligauerant; tum cataſta intenta, atque in altum erecta, vt ex ea, quaſi ex cruce quadam miſer ille penderet, primùm compagem ipſam oſſium diuellebant, deinde candentes laminas eiuſdem corpori admouebant; tum biſulcis vngulis ferreis latera excarnificantes, doloris acerbitatem augebant.* hæc eruditiſſimus Sigonius. Alij poſtremò, machinam fuiſſe ad equi ſimilitudinem (veluti infrà diffusè explicabitur) fabricatam, cum duabus ſtriatis rotulis in extremis excauatiſque eius partibus poſitis, quæ quidem per axiculos ductoriis funiculis traiectis verſabantur; vnde fiebat, vt rei illis alligati variè excruciarentur, atque diſtenderentur. Fuit huius opinionis P. Thomas Bozius noſtræ Congregationis ſacerdos, in hiſtoria quam de ſanctis martyribus Papia & Mauro deſcripſit, nondum excuſa. Hæ itaque ſunt de equuleo ſcriptorum ſententiæ, quarum quæ veræ, quæve falſæ ſint, ſi ſtudiosè diligentérque inſpiciantur, apparebit.

Prima ſententia de equuleo reprobatur.

Iam verò ſi primam ſpectemus, ceteris ſine dubio minùs veram eſſe iudicabimus: quî enim fieri poteſt, vt equuleum ardentem laminam credamus, cùm in omnibus ferè martyrum rebus geſtis, & in nonnullis antiquorum auctorum libris ſcriptum reperiatur, cruciandos homines in equuleo leuatos, laminis fuiſſe ardentibus combuſtos? Deinde ſi ad alteram & tertiam animum referamus, apertum fortaſſe perſpicuúmque nobis nullo labore fiet, & improbabiles eas eſſe, & à veritate alienas. Etenim quonam pacto poterunt ea, quæ de equuleo maiores litteris conſignarunt, illis deſcriptionibus accommodari? quod quidem tunc vel maximè non poſſe conſtabit, cùm opinionem extremo loco relatam, quam veram putamus, rationibus comprobabimus. Eſt autem ea (vt ex ſupradictis patet) huiuſmodi: Equuleus apud veteres machina fuit lignea ad veri equi ſimilitudinem fabricata,

Altera, & tertia opinio examinatur.

Sententia noſtra de equuleo explicatur.

cum duabus ſtriatis rotulis in extremis excauatíſque eius partibus inditis, quæ, cùm erat aliquis in ea torquendus, per axiculos ductariis funiculis traiectis, verſabantur: quocirca fiebat, vt illis alligatus variè excruciaretur, atque diſtenderetur.

Vt autem clariùs & dilucidiùs, quæ paulò antè & quæ proximè de equuleo diximus, percipiantur; ſciri conuenit, conſueuiſſe veteres hoc modo equuleum conſtruere. Præparabant initio operis faciundi ſtipitem rectum, longitudinis latitudinísve conuenientis: in cuius extremis partibus, ipſorum induſtriâ aliquantulùm excauatis, duas ſtriatas rotulas, quæ per axiculos verti poſſent, indebant: tum deinde, vt ex omni parte eleuatus remaneret è terra, deſumebant quatuor ligna eo paulò arctiora, atque minora, quæ deinceps clauis ferreis non longè ab vltimis ſtipitis partibus affigentes, fabricabant machinam quatuor quaſi pedibus veri equi inſtar inſiſtentem. Quo peracto, ſi quis ibi equuleo torquendus aderat, in ipſum, vi cruribus deuaricatis, coniiciebatur. Poſt hæc tortores funiculos aliquos ſumentes, illorum altero cruciandi pedes, altero manus poſt tergum reiectas atque diſtortas vinciebant. Tunc rotulis, ſiue orbiculis funiculos prædictos immittentes, & ad machinulam aliquam equulei pedibus affixam, ſucculæ (vt nobis probatur) ſimilem, eoſdem referentes, efficiebant, brachiorum ductu machinulam verſantes, vt funiculi circa eam ſe inuoluentes, extenderentur; & deinceps, vt illis alligatus, dorſo ſuper equuleum, & facie ad cælum verſa, pariter extenderetur. Verùm cùm iterum ac ſæpius in machinula vertenda defatigari non deſiſterent, & ex hoc ſingula iam vincti membra, cunctis compagibus reſolutis, eſſent diſtracta, longo temporis ſpatio vel ſic eum permanere ſinebant; vel, Iudice annuente, funiculos relaxantes, incuruum ac pendulum ſub equuleo cadere, non ſine maximo dolore faciebant. Quamobrem arbitratus tunc Iudex amplam condemnandi, aut abſoluendi eum ſe nactum eſſe occaſionem, de actis eius acerrimè inquirere ac cognoſcere perſequebatur. Quòd ſi rei conſtantia ſpem ipſius feſelliſſet atque ſuperaſſet; iubebat continuò igneas laminas, lampades, aut tædas ardentes afferri, vel etiam vngulas, vncos & conſimilia, & his vel horum ſaltem altero eius latera, ceteráſque corporis partes ad-

Digitized by Google

uri, atque excarnificari, vt ſic noui doloris acerbitas quæreret veritatem. Atque hæc de equulei forma & vſu. Reliquum eſt modò, omnia & ſingula quæ de ipſo explicauimus, rationibus, veterúmque monumentis confirmare.

Equuleus erat veri equi inſtar fabricatus.

Ac primùm, machinam fuiſſe ligneam ad veri equi ſimilitudinem fabricatam, apertè oſtendit nominis equulei interpretatio: equuleus enim pullum equinum, id eſt, equum recenter natum, ſignificat. Præterea inueniuntur in hunc vſque diem quædam ſcamnorum genera eleuata paulisper è terra, quatuor lignis, quaſi quatuor pedibus ſuſtentata, quæ hoc nomine vocantur, vt ſunt quæ vulgò *caualletti* dicuntur. Poteſt inſuper demonſtrari hoc idem ex deſcriptionibus & effectibus eidemmet equuleo ab antiquis ſcriptoribus attributis: vnde Cicero Tuſculan. quæſt. lib. 5. volens innuere ſic in ipſo poni reos conſueuiſſe, vt in vero animatóque equo immitti quis ſolet, dixit, de equuleo inſtrumento torquendi loquens: *In equuleum coniiciuntur.* & paucis interpoſitis: *Veluti iſte in equuleum impoſitus.* & pòſt: *Conantem ire in equuleum,* &c. Ex his locis doctiſſimus Pamelius in Cyprianum collegit, fuiſſe equuleum, de quo hîc agitur, ab equi ſimilitudine appellatum: ſiquidem ait: *Equuleum accipit Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt. pro tormenti genere in formam equi, in quem conſiciebantur rei.* hæc ille. Præterea hoc idem clariùs ſignificauit Pomponius poëta à Nonio Marcello relatus, his verbis: *Et vbi inſilius* (quod proprium eſt illorum qui in equos aſcendunt) *in cochleatum equuleum, ibi tollutim tortor.* perinde ac ſi diceret, Poſtquam aſcendi in equuleum rotulas ſtriatas habentem, inibi tollutim tortor, id eſt (vt Nonius Marcellus docet) volubiliter torqueor; quod quidem ratione rotularum in eo inditarum fiebat. Ad hæc, legimus ſæpiſſimè in martyrum paſſionibus, ſpeciatim in illa ſanctorum Abundij & Abundantij, quam in veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis codicibus habemus, fuiſſe Chriſtianos in equuleo leuatos, vt in eo torquerentur. ſignum eſt ergo ſatis euidens, fuiſſe equuleum (vt declarauimus ſuprà) machinam ligneam equo ſimilem, & non alio modo conſtructam. Poſtremò huic ſententiæ proximè accedere videntur S. Hieronymus ad Innoc. epiſt. 49. & Seneca: quorum ille, equuleo tortos, ſcribit, oculos in cælum conuerſos tenuiſſe: hic, in eo toto corpore proſtratos iacuiſſe: namque ait B. Hierony-

mus: *Cùm equuleus corpus extenderet, oculis, quos tantùm tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cælum.* Seneca autem: *Hoc nobis* (inquit) *perſuadere conaris, nihil intereſſe, vtrùm aliquis in gaudio ſit, an in equuleo iaceat.* Si igitur in equuleo rei & iacebant, & ad cælum ſuſpiciebant; probabilius eſt, inſtar equi eum fabricatum fuiſſe, quàm aliter.

Dicet fortaſſe quiſpiam, prædicta Senecæ verba non ita ſe habere, vt diximus: nam Muretus in ſuis ad prænotatam epiſtolam notis, vbi, *iaceat,* ipſi ſcripſimus, ille, taceat, correxit; vnde inquit: *In equuleo taceat; non indicet conſcios; nihil eorum prodat, propter quæ torquetur. Meliùs, haud dubiè, quàm, vt in aliis, iaceat.* Sed cùm id nulla prorſus afferat ratione, legendum eſſe credimus, iaceat, & non, taceat: etenim non ſolùm eiuſmodi lectio antecedentibus auctoris verbis eſt congruentior, ſed cunctis etiam Senecæ codicibus, quos vidimus, quorum aliqui peruetuſti erant, conformior; ſiquidem in illis, iaceat, ſemper legimus, & numquam, vt Mureto placuit, taceat. Et de hac prima definitionis equulei parte ſatis. Confutatur Muretus.

Ceterùm fuiſſe in eadem equulei machina rotulas aliquas ſtriatas, ex veteris poëtæ Pomponij prænotato verſu elicitur, vt ex nuper dictis explicatiſque patet. In equuleo erant rotulæ quædam.

Quòd autem rei in equuleo leuati, brachiis poſt terga diſtortis, pedibúſque eidem equuleo funiculis alligatis, & iis machinulis quibuſdam relatis, diſtenderentur, atque diſcerperentur, hoc, inquam, ex multis locis cognoſci poteſt: & primùm ex Euſebij hiſtoriæ libro 8. cap. 11. vbi hæc verba leguntur: *Quidam enim primùm manibus à tergo colligatis ligno appenſi, & machinis quibuſdam membra eorum vniuerſa diſtenta, diſtractáque*, &c. Porro eſſe hæc de equuleo intelligenda, ea quæ continuò ſubſequuntur verba non obſcurè indicare videntur; ſunt enim huiuſmodi: *Deinde à tortoribus ex mandato magiſtratuum per totum corpus grauiter diuexati, & non quemadmodum cum homicidis agi ſolet, latera ſolùm, ſed venter, tibiæ, & genæ flagris ferreis caſa, ſeu* (vt alij textus habent) *vngulis.* hæc ille. Deinde confirmare hoc idem quoque poſſumus ex B. Hieronymi epiſtola ad Innocentium 49. ſiquidem hæc in illa conſcripta habentur: *At verò mulier ſexu fortior ſuo, cùm equuleus corpus extenderet, & ſordidas fætore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, oculis*, &c. Præterea idem ſimi- Martyres in equuleo brachiis poſt terga diſtortis extendebãtur.

liter ex Prudentio in B. Vincentij martyris hymno, in quo ita Tyrannus tortoribus imperat:

Vinctum retortis brachiis
Surſum ac deorſum extendite,
Compago donec oſsium
Diuulſa membratim crepet.

Et in hymno S. Romani, vbi inuictus martyr ita ex equuleo loquitur:

Quomodo martyres in equuleo poſiti penderent, declarabitur infrà.

Miſerum putatis, quòd retortis pendeo
Extenſus vlnis, quòd reuelluntur pedes,
Compago neruis quòd ſonat crepantibus.

Ex his itaque planè (vt nobis videtur) apparet, fuiſſe reos pedibus, diſtortíſque brachiis equulei funiculis vinctos, & quibuſdam machinulis, ad quas hi funiculi referebantur, à tortoribus volutatis, articulatim conſciſſos, atque diſſectos.

Machinulæ quędam erant equuleo affixæ.

Has autem machinulas fuiſſe in equuleo, præter id quod ex Euſebio aſſeruimus, poſſet etiam fortaſſe confirmari ex his, quæ habet Vitruuius lib. 10. cap. 2.3. & 4. tractans de trochlearum vſu, atque de aliis tractoriis machinis, vt de ergata, & ſucculis: docet enim, ductarium funem per trochleam, quam nonnulli etiam rechamum dicunt, traiectum, debere poſtremò, vt onera per ipſum ſubleuari, vel dimoueri queant, ad aliquam machinam referri.

Rechamus quid ſit.

Iacebant, qui in equuleo extendebantur, toto corpore in eo proſtrati, vultu ad cælum verſo.

Iacuiſſe autem reos toto corpore in equuleo proſtratos, vultúque ad cælum verſo, dum funiculi intendebantur, indicant, & quidem non obſcurè, ea quæ paulò ſuperiùs ex epiſt. S. Hieronymi ad Innoc. 49. & Senecæ 66. retulimus. vnum tamen aduertes (vt ex B. Hieronymi citata epiſtola monemur) ſolitos nonnumquam fuiſſe carnifices, crines mulierum in equuleo torquendarum, augendi doloris ſtudio, ad eius ſtipitem alligare: nec mirum; quia dum à tortoribus laxabantur funiculi, ſub equuleum (veluti paulò infrà ex Ammiano demonſtrabitur) incuruato corpore cadebant: quocirca earum capillos, quod ſummi immenſique animi & corporis cruciatus erat, euelli quodammodo atque extirpari oportebat.

Crines quandoq. SS. mulierum in equuleo excruciandarum, augēdi doloris causà, ad eius ſtipitem vinciebātur.

Quomodo rei incuruatis corporibus ſub equuleũ caderent.

Quòd autem funiculis, qui extenſi erant, laxatis, rei incuruatis corporibus ſub equulei machinam caderent, teſtatur (vt alios omittamus) Ammianus Marcellinus lib. 16. *Innocentes* (dicens) *tortoribus expoſuit multos, & ſub equuleo cepit in-*

curuos. & lib. 18. *Quamquam incuruus ſub equuleo ſtaret, pertinaci negabat inſtantia.* quibus verbis, illíſque præcipuè, quæ lib. 18. leguntur, ſignificauit auctor, augendi doloris gratiâ laxatos fuiſſe funiculos, & non (vt Sigonio, eúmque ſequentibus placuit) eiuſdem remittendi cauſâ: arbitratus eſt quippe vir iſte lib. 3. de iudiciis cap. 18. conſueuiſſe veteres, remittendi doloris ſtudio, funiculos, quibus in equuleo reorum corpora erant extenſa, relaxare. vnde inquit: *Vt autem incitandi doloris cauſâ equuleus aut fidiculæ tendebantur, ſic eiuſdem remittendi eædem laxabantur.* confirmat hanc ſententiam maiorum auctoritate, inquiens: *Quocirca Valerius de patientia, nempe lib. 3. cap. 3. ita ſcriptum reliquit: Zeno cùm à Nearcho Tyranno torqueretur, eſſe dixit, quod ſecretò audire eum maximè expediret: laxatóque equuleo, aurem eius morſu corripuit, atque abſcidit. Et paulò poſt: In Theodoro quoque (ait) viro grauiſſimo Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit: rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, lamináſque extinxit priùs, quàm efficeret, vt tyrannicidij conſcios indicaret.* Et Quintilianus declam. vltima, ita: *An quæſtionem illam fuiſſe credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra luxaret. Ex quibus verbis (ſubiungit idem auctor) qui in laxando equuleo leniter fidiculas remiſiſſet, eum aliqua ex parte doloris acerbitati conſuluiſſe apparet.* hactenus ille; cuius quidem rationes, ſi diligenter conſiderentur, eas non ſolùm (pace ipſius dixerim) falſa quædam continere patebit, ſed inſuper nihil omnino concludere, manifeſtum fiet. *Funiculi in equuleo non laxabantur remittendi doloris causâ.*

Continent primò quædam, quæ à veritate remota creduntur, nempe fidiculas fuiſſe funiculos illos, quibus rei equuleo alligabantur: ſiquidem (vt paulò inferiùs demonſtrabimus) erant apud veteres fidiculæ idem quod vngulæ, & hæ idem prorſus quod illæ. Nec etiam concludunt: nam tametſi concederemus fidiculas fuiſſe funiculos, quibus rei vinciebantur, non idcirco conſequeretur eius argumenta firma validáque eſſe: namque ipſa nec nobis aliqua ex parte obeſſe poſſunt, nec his qui contrà ſentiunt prodeſſe: non enim illis verbis, quibus ea fundantur, voluit Valerius Maximus indicare, funiculis relaxatis, doloris acerbitati conſultum fuiſſe, ſed potiùs virorum quorumdam externorum inuictum *Rationes Sigonij diluuntur.*

Digitized by Google

animi robur, atque conſtantiam; quippe ait: *Cùm Zeno à Nearcho Tyranno, de cuius nece conſilium inerat, torqueretur, ſupplicij pariter, atque indicandorum gratiâ conſciorum, doloris victor, ſed vltionis cupidus, eſſe dixit*, prædicto ſcilicet Nearcho, *quòd ſecretò audire eum admodum expediret: laxatóque equuleo, poſteaquam inſidiis opportunum tempus animaduerterit, aurem eius morſu corripuit, nec antè dimiſit, quàm & ipſe vitâ, & ille corporis parte priuaretur.* Ex his profectò verbis non colligitur laxatum fuiſſe equuleum remittendi doloris ſtudio, ſed ideo, vt Zeno, qui in eo torquebatur, poſſet Nearcho Tyranno, his, qui aderant, non audientibus, aperire ſecretum quoddam, ſicuti ipſe ſimulabat, illi maximè vtile ac neceſſarium. Non ergo Sigonius ſententiam ſuam firmiter, vt ſibi perſuaſit, demonſtrauit.

Aduertere hîc velimus lectorem, laxari funiculos (vt verba Valerij Maximi iamiam recitata indicant) indicio fuiſſe, equuleum, ſicuti initio capitis aſſeruimus, è terra aliquantulùm ex omni eius parte eleuatum extitiſſe. Vnde nullo pacto nobis admirationem mouere Prudentius debet, ſi in S. Romani martyris hymno eumdem Chriſti militem ex equuleo, quaſi ex alto quodam ligno pependiſſet, ita vociferantem inducat:

Audite cuncti: clamo longè, ac prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Nam equuleus (vt ex verbis Valerij modò adductis oſtendimus) erat conuenienter ſubleuatus & altus. Iam verò ad rem noſtram reuertentes, putamus nec alteram Valerij auctoritatem vllo modo Sigonio fauere poſſe; in illa enim huiuſmodi verba, & quidem figurata habentur: *In Theodoro quoque viro grauiſsimo Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit. Rupit enim verbera, laxauit fidiculas, ſoluit equuleum, laminas extinxit priùs, quàm efficeret, vt tyrannicidij conſcios indicaret.* hucuſque Valerius Maximus. Sed quid contra noſtram ſententiam ex his infertur? certè nihil: innuunt ea dumtaxat, maximam fuiſſe in cruciatibus perferendis Theodori conſtantiam; ſiquidem rupit verbera, id eſt, flagella, quibus verberabatur; laxauit fidiculas, hoc eſt, vngulas disiunxit, quippe quæ (vt cap. 5. explicabimus) forcipes ferrei erant. ſoluit equuleum, id eſt, funiculos, quibus ligatus erat, diſrupit: laminas extinxit, &c. Spectentur, quæſo,

paululùm

paululùm attento animo ſingula verba, & ſic rem ſe habere conſtabit, atque inſuper nihil contra nos ea pugnare apparebit. Idem quoque eueniet, ſi Quintiliani verba, quæ ad ſuam ſententiam confirmandam Sigonius adduxit, conſiderentur, quippe hoc modo ſe habent: *An tu quæſtionem illam fuiſſe credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra luxaret.* Et quid hæc ſignificant? ſignificant profectò quemdam, qui in equuleo torquebatur, leniter in eo remiſſeque extenſum fuiſſe, vt ſic leniter remiſſeque pariter diſcerperetur: quare nihil omnino prædictæ tum Valerij, tum Quintiliani auctoritates in noſtram ſententiam efficiunt. Et hæc quidem hactenus.

Fidiculæ quid eſſent apud veteres.

SIGONIVS loco nuper citato in ea fuit opinione, vt crediderit fidiculas, de quibus hîc quærimus, fuiſſe vincula neruea, quibus reorum membra equuleo adhærebant; ſicque noxios fidiculis torqueri, idem eſſe, ac eoſdem fidiculis equuleo alligatos intendendo, eorumdem ſingulas oſſium commiſſuras ſummo cum dolore diſtrahere. In hanc quoque ſententiam ſcripſiſſe videtur Valla lib. 1. dum ait, *fidiculas eſſe inſtrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, ita dictum vel ab extorquenda fide, vel à nerueis funibus, quibus torquendi alligantur.* ſic ille. Sed ſi ea, quæ de iiſmet fidiculis in Notis ad Romanum Martyrologium * conſcripta, atque firmiſſimis argumentis ſunt comprobata, attento animo intuebimur, erraſſe prædictos ſcriptores ſine dubitatione vlla intelligemus. Ceterùm vt benigno lectori magis magiſque ſatisfaciamus, ea omnia hîc recitare nobis placuit. Sunt autem huius generis.

* XI. Kal. Febr.

Fiiculæ quidnam fuerint, exactè S. Iſidorus demonſtrauit etymolog. lib. 5. cap. vlt. dicens eas eſſe vngulas ferreas, quibus damnati diſcruciabantur: quocirca, inquit, *vngulæ dictæ, quòd effodiant; hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, vt fides inueniatur.* hæc Iſidorus. Cùm itaque fidiculis, æquè ac vngulis, latera hominis in equuleo extenſi ſinderentur, eaſdem vngulas ea de cauſa fidiculas appellatas eſſe,

Vngulæ cur fidiculæ dictæ.

Digitized by Google

nobis par eſt credere, quòd nimirum reorum latera & ipſa finderent, ſicque à findendo fidiculas nuncupatas eſſe, quaſi findiculas; vel à fodicando, quia nempe reorum latera illis fodicarentur; nominatáſque eſſe fidiculas, quaſi fodiculas: nam fodicare latera fidiculis, vſurpatum apparet ab Ammiano, ſicuti paucis interpoſitis verſibus patefaciemus.

His primùm aſſentitur Prudentius in hymno S. Romani martyris, cùm quas vocauit fidiculas, eaſdem vngulas dicat. ſunt enim apud eum hæc verba Aſclepiadis Iudicis:

Vertat ictum carnifex
In os loquentis, ínque maxillas manum,
Sulcóſque acutos, & fidiculas transferat,
Verboſitatis vt rumpatur locus.

Per fidiculas Aſclepiadem intellexiſſe vngulas, quæ ſtatim auctor ſubiungit, aperiunt his verſibus:

Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas vngulis ſcribentibus
Genas, cruentis & ſecat faciem notis:
Hirſuta barbis ſoluitur carptim cutis,
Et mentum aduſque vultus omnis ſcinditur.

Hæc Prudentius. Eodem pariter ſenſu accipiuntur fidiculæ. l. Decuriones. C. de quæſt. ſiquidem fidiculis excruciari, vocat ibidem Imperator, cruentam conditionem. ſic apud Ammianum lib. 29. vbi hæc genera cruciatuum recenſens, ita teſtatum reliquit: *Intercluduntur equulei, expediuntur pondera plumbea cum fidiculis & verberibus.* cúmque non multò pòſt reorum maieſtatis latera prædictis ſuppliciis fodicata affirmet, fidiculis id peractum eſſe iam conſtat. In hoc item ſenſu fidiculas deſumere, tam apud Ioſephum de Machab. lib. 5. quàm apud Senecam lib. 3. de ira cap. 3. Valerium de patientia lib. 3. cap. 3. & Quintilianum declamatione vltima, vel alios, ſi qui ſint, nihil planè prohibet: imò ex Ioſepho, Valerio, & Quintiliano clariſſimè locis citatis colligi poteſt, per fidiculas, eos vngulas, & non aliud quicquam ſignificare voluiſſe. Atque hæc quidem pro explicatione confirmationéque huiuſce opinionis dicta ſint. Verùm huic ſententiæ aduerſari videtur Suetonius in Tiberio, apud quem aliud genus ſupplicij fidiculas dictas eſſe habetur; namque in prænotato loco ſic legitur: *Excogitauerat inter genera cruciatus, etiam, vt longa meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis,*

fidicularum ſimul, vrinæque tormento diſtenderet. hæc Suetonius: cuius nihilominus auctoritati ſatisfieri poteſt, ſi dicatur, fuiſſe eiuſmodi tormenti genus, cuius ipſe meminit, remotiſſimum ab eo quod in ſanctorum martyrum rebus geſtis, aliiſque citatis auctoribus, per fidiculas teſtatum apparet. Oppones adhuc fortaſſe huic noſtræ opinioni Valerium lib. 3. cap. 3. ſic de Theodoro loquentem: *Rupit verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum.* Sed certè quomodo ſint hæc verba interpretanda, atque exponenda, abundè iam demonſtrauimus. Et de fidiculis ſatis. Fidiculæ quid apud Suetonium.

Quod verò ſpectat ad id quod vltimo loco diximus de aliis quibuſdam tormentorum generibus, quibus rei in equuleo extenſi excruciabantur, obſeruari eſt opus, hanc conſuetudinem habuiſſe maiores, vt corpore in equuleo extenſo, fidiculis, vel vngulis eiuſdemmet membra finderent, vel laminis candentibus, aut conſimilibus torrerent. Hæc cùm habeas in nonnullis ſanctorum martyrum Actis, S. Cyprianus demonſtrat epiſt. ad Donatum his verbis: *Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt, vngula effodiens latera & deradens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum ſupplicia multa.* & lib. de lapſis: *Sed cùm, duriſſimi Iudicis recrudeſcente ſæuitia, iam fatigatum, nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret.* & lib. de laude martyrij: *Hoc verò quod equuleo corpus extenſum candentes ſtridet ad laminas, non exempti ſanguinis, ſed tentationis eſt cauſa.* Et S. Auguſtinus epiſtolâ ad Marcellinum 59. *Quando*, ait, *tantorum ſcelerum confeſſionem non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti?* & S. Hieronymus epiſt. ad Innoc. 49. pluribus. Cicero item 7. in Verrem, dum ait: *Quid cùm ignes, ardentéſque laminæ, ceteríque cruciatus admouebantur?* & in Anton. Philipp. 11. *Ponite ante oculos vincula, verbera, equuleum, carnificem tortorémque Samarium.* & Seneca lib. 3. de ira cap. 3. *Apparatúſque*, inquit, *illi reddendus eſt ſuus, equulei, & fidiculæ, & ergaſtula, & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadauera quoque trahens vncus.* ampliùs Ammianus Marcellinus lib. 14. *Intendebantur equulei, vncóſque parabat carnifex, & tormenta.* ad hæc Prudentius quoque in S. Vincentij martyris hymno his verſibus: Extenſi in equuleo variis tormentorum generibus affligebantur.

Extorque, ſi potes, fidem.

Tormenta, carcer, vngulæ,
Stridénſque flammis lamina,
Atque ipſa pœnarum vltima
Mors Chriſtianis ludus eſt. & pòſt:
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundiùs
Intraret artus vngula.

Et in hymno B. Romani ſimiliter martyris:

Amor corona, pœna præuenit trucem
Lictoris artem, ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis execandas vngulis. & infrà:
Non vngularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanta dira pulſat pleureſis:
Nec ſic inuſta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit.

His demum omnibus addi poſſunt, quæ litteris tam Valerius Maximus, quàm Quintilianus locis paulò ſuperiùs citatis prodidere: idem enim optimè demonſtrant atque confirmant.

Ex his ergo omnibus iam dilucidè apparet, veriſſima certiſſimáque eſſe, quæ de equuleo & declarauimus, & aſſeruimus. Namque deſcriptionibus aliorum huiuſce capitis initio adductis, nulla prorſus ratione, quæ ex antiquis monumentis de eo accepimus, accommodari queunt. Et quidem ſi vera potiſſimum eſt Sigonij ſententia, quo pacto aptari equuleo poterunt, quæ apud Nonium poëta Pomponius ſcripta reliquit, nimirum reos in equuleo inſilire conſueuiſſe? & quæ Cicero Tuſculan. quæſt. lib. 5. nempe eoſdem coniici, immitti, & ire ſolitos in equuleum, quod proprium illorum eſt, qui veros equos aſcendunt? Deinde quomodo hæc alia ab Ammiano Marcellino locis ſuprà notatis deſumpta, videlicet, equuleo tortos, funiculis, quibus alligati erant, laxatis, confeſtim ſub ipſum corpore non recto, ſed incuruato cecidiſſe? quibus pariter adiungi poſſent, quæ ſcriptis mandauit Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. externorum 3. de Zenone quodam in equuleo torto. Ampliùs, quanam ratione etiam, quæ Seneca epiſt. 66. & 67. ſcilicet, iacuiſſe reos, dum torquerentur in equuleo, & 67. eos funiculis tenſis in equuleo longiores, quàm antea eſſent, effectos? ſiqui-

Digitized by Google

dem iuxta Sigonij opinionem (vt infrà magis patebit) equuleo extenſi, non longiores, ſed potiùs latiores fiebant. Præterea ſi verum eſt (vt ex S. Hieronymi epiſt. 49. verum eſſe oſtendimus) homines, cùm equuleo diſtenderentur, facie ad cælum verſa remanere conſueuiſſe, liberum quippe illis erat oculos ſurſum tollere, & cælum aſpicere; conſequitur ſententiam noſtram de equuleo longè aliis & certiorem eſſe, & veriorem, & antiquorum dictis congruentiorem. Cęterùm accedamus nunc ad rationes Sigonij refellendas.

Erat prima huius generis: Euſebius Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. c. 1. de equuleo verba faciens, innuit ipſum ligneam fuiſſe cataſtam, atque in ſublime tolli ſolitam; ait namque: *At cùm tyrannica crudeliáque illa ſuppliciorum genera, per beatorum patientiam Chriſti virtute firmatam, fruſtra impoſita irrogatáque viderentur; diabolus alias quaſdam machinas de integro contra illos excogitauit: nempe vt in carcerem coniecti, interdum in locis horrida caligine obſitis & plenis moleſtiarum miſerè iacerent; nonnumquam illorum pedes in craſſas compedes impoſiti diſtinerentur, & ad quintum vſque foramen longa intercapedine interpoſita diſtenderentur. Igitur*, ſubiungit Sigonius, *equuleus cataſta lignea fuit: eo ſiquidem damnatorum corpora extendebantur.* Ampliùs Sozomenus hiſt. lib. 5. c. 10. de Buſiri Chriſtiano homine ex vrbe Galatiæ Ancyra apud Myrum Phrygiæ oppidum ſub Imp. Iuliano Apoſtata pro fide cruciato loquens: *Et cùm*, inquit, *ad tortorium lignum adduxiſſent, in ſublime tolli iuſſit.* & cap. 20. *Ex Chriſtianis in vincula conditis Theodorum adoleſcentem primo loco productum, ad palum, in quo ſupplicia ſolebant inferri, alligat. hic vngulis diu laceratus*, &c. Ad hæc, confirmare videtur hoc idem Prudentius in hymno S. Romani martyris, cùm eumdem beatum virum ex equuleo hoc modo vociferantem inducat:

Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Qua de cauſa eumdem antè penſilem virum dixerat:

Scindunt vtrumque milites teterrimi
Mucrone biſulco penſilis latus viri.

Et hæc ſunt prima argumenta cùm Sigonij, tum eius opinionem ſequentium, quæ ſigillatim à nobis enodanda ac diſſoluenda erunt. Verùm vt facilior eorumdem ac clarior appareat ſolutio, quædam antè notanda, declarandáque pro-

Diluuntur aliorũ rationes in ſententiam noſtram de equuleo.

Digitized by Google

ponemus: Et primò, permiſcuiſſe Sigonium, confudiſſéque equuleum cum cataſta, necnon & cum genere illo compedum, quo rei in carcere poſiti, iniectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad iugem cruciatum ſic vincti detinebantur. Quamobrem meritò reprehendendus videtur: ſiquidem cataſta (vt ex his conſtat, quæ habet Iacobus Pamelius in notis ad epiſtolam S. Cypriani martyris 33.) locum vel maximè ac propriè ſignificat eminentiorem, quem vulgò *Palcum* dicimus, in quo vel de reis, vel de Chriſtianis martyribus ſumebatur ſupplicium: ad quam quidem ſignificationem proximè accedit B. Cyprianus loco prædicto de cataſta mentionem faciens, & Prudentius poëta pariter in Romani martyris hymno illis verbis:

Cataſta quid ſignificet.

Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Ad hæc, deſignat hæc eadem vox, cataſta, licèt non ita propriè, machinam quamdam longæ magnæque compedis formam habentem, quâ ſerui detenti venum exponebantur. Præterea non propriè etiam ſignificat ipſamet torquendi inſtrumenta. quocirca Prudentius periſteph. hymno 2. de Laurentio martyre ſic cecinit:

Poſtquam vapor diutiùs
Decoxit exuſtum latus,
Vltro è cataſta (id eſt, è crate ferrea) *Iudicem*
Compellat affatu breui:
Conuerte partem corporis,
Satis crematus iugiter.

Idem periſteph. hymno 1.

Verbera poſt vim crepantum,
Poſt cataſtas igneas.

Cataſta diuerſa eſt ab equuleo.

Cùm igitur cataſta (veluti pluribus in notis ad prædictam B. Cypriani epiſtolam demonſtrauit Pamelius) locum præcipuè editiorem ſignificaret, in quem cruciandi homines, vt illorum tormenta ab his qui aderant aſpici poſſent, eleuabantur; ſequitur, confudiſſe Sigonium in equulei definitione aſſignanda (vt iam perſpicuum eſt) ipſummet equuleum cum cataſta.

Dicet fortaſſe quiſpiam, per cataſtam prædictum auctorem equuleum intellexiſſe, & non aliud, cùm & ipſa tortorum inſtrumenta hoc nomine in Actis ſanctorum martyrum

appellata reperiantur. Sed adhuc conuincitur præmiſcuiſſe equuleum cum cataſta: ſiquidem quæ in rerum definitionibus ſeu deſcriptionibus collocantur, ſecundùm propriam terminorum ſignificationem, & non aliter collocari conuenit. Præterea ſi per cataſtam mente complexus eſt ille equuleum, idem profectò fuiſſet, ac ſi eumdem definiendo, Equuleus, dixiſſet, eſt equuleus: à quo rerum vim explicandi modo & definitiones & deſcriptiones, quàm maximè fieri poterit, abhorrere debent. Et hæc de cataſta.

Nunc autem agamus de genere illo compedum, quo rei in carcere poſiti, iniectis ad quartum vel quintum foramen pedibus, ad perennem cruciatum detinebantur. Senſit de hoc Sigonius loco prædicto, non aliud eſſe ab equuleo, ſed prorſus idem cum illo: quod certè dici nulla ratione poteſt: tum quia hoc damnati homines latiores fiebant, illo verò (vt ſuprà ex epiſtola 67. Senecæ retulimus) longiores: tum etiam quia (vt in Notis ad Martyrologium Romanum * legitur) hoc eodem compedum genere rei in carceribus dumtaxat (ſicuti infrà, cùm de vinculis agemus, magis patebit) excruciabantur; illo autem (vti martyrum acta ferè innumera clamant) extra carceres, ſæpiſſiméque in locis vrbium publicis. Præterea equuleo non ſolùm reorum pedes ad foſſionem vngularum diſtendebantur, ſed totum ſimiliter corpus, hiſce verò compedibus tantummodo pedes. diuerſæ igitur penitus erant hæ ab equuleo.

Equuleus alius erat ab illo genere compedum, quo rei ad quartum vel quintum foramen extendebantur.

* In menſem Ianuarij.

De quampluribus modis, quibus reorum corpora extendebantur.

SCIRI ampliùs conuenit, hoc in more antiquorum extitiſſe, vt reorum corpora pluribus modis ad ea vi quodammodo diſcerpenda diſtenderentur, equuleo nimirum, trochleis, ſuſpendióque, grauibus appenſorum pedibus additis ponderibus, & inſuper, vt ad eadem corpora diuerſis variiſque aliis ſupplieiis afficienda, vtpote vngulis, ferreíſque pectinibus, & ceteris generis eiuſmodi dilanianda, vel laminis igneis, aut conſimilibus torrenda, variis pariter viis id conficeretur, nempe vel excruciandis in equuleum leuatis, vel aliquo ex prædictis ſuperiùs cap. I. modis appenſis, vel ſtipitibus, arboribus, aut columnis alligatis, aut ſimilibus,

Digitized by Google

quæ quidem omnia ac ſingula ipſi iam abundè cap. 1. atque 2. demonſtrauimus.

De modo, quo equuleo alligati, ex eo quaſi ex alto quodam ligno pependerint; & quid ſit reum in equuleo ſuſpendi.

LEGVNTVR ſæpiſſime in ſanctorum martyrum paſſionibus huiuſmodi verba, Martyr in equuleo ſuſpendebatur. ex quo loquendi genere deſumpſere quamplurimi, equuleum non fuiſſe veri equi inſtar (vt diximus) fabricatum, ſed aliter. Hi fortaſſe non conſiderarunt, quæ ex antiquorum auctorum libris recitauimus, nedum hoc verbum, ſuſpendi, denotare etiam eleuari in aliquem locum; namque ſi iſta ſpectaſſent, non induxiſſent quod inducere nulla ratione poterant. Martyrem ergo in equuleo ſuſpendi, idem eſt, ac martyrem in eum leuari. Hinc fit, vt in nonnullis Sanctorum martyrio coronatorum rebus geſtis, ſub Iudicis, aut Imperatoris nomine aliquem in equuleo torqueri iubentis, hæc verba conſcripta reperiantur: *Leuetur hic in equuleum, & ibidem torqueatur.* Quocirca in Actis beatiſſimorum Abundij presbyteri, & Abundantij diaconi, quæ S. Mariæ Maioris Canonici, & nos manuſcripta habemus, hæc narrantur. *Tunc Diocletianus iuſſit eos leuari in equuleo, & diu torqueri. qui cùm diu torquerentur*, &c. Suſpendi igitur in equuleo, idem prorſus ſignificat, ac in eum eleuari.

Præterea confirmatur hoc idem Actis SS. virginum Reginæ à Petro relatis lib. 8. cap. 47. & Margaritæ ab eodem lib. 6. c. 120. in huius quippe rebus geſtis, cùm iam in eorum initio dictum fuiſſet, *Suſpendatur Margarita in equuleo*, poſtea aliquibus interpoſitis verſibus, iſta ſubduntur: *Poſt dies plurimos conuenientibus populis, Iudici præſentatur, & ſacrificare contemnens, iterum in equuleo leuatur*, &c. idem igitur erat.

Martyres pendebant ex equuleo. His denique addere poſſumus, martyres equuleo alligatos pependiſſe: ſiquidem funiculis, quibus vincti erant, laxatis, corpore ſub equuleum incuruato, cadebant: quamobrem non recto, ſicuti qui ſuſpendio affici ſolent, corpore ab equulei machina penſiles quandoque fiebant, ſed (vt aſſeruimus) curuato; cuius rei locupletiſſimum teſtimonium affert Ammianus Marcellinus locis ſuprà citatis, nempe lib. 16. & 18.

De

De equulei extenſione.

REPERITVR nonnumquam in Ammiano Marcellino & aliis quibuſdam, equuleum intendi, ac remitti conſueuiſſe: quod profectò ſic eſt exponendum, vt intelligamus eum non ratione ſui, ſed funiculorum dumtaxat, quibus torquendus alligatus erat: iis ſiquidem extenſis, aut laxatis, equuleus quodammodo extendi, aut laxari videbatur. innuit hoc (vt alios omittamus) Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. de Theodoro quodam excruciato verba faciens.

Cur equuleus dictus fuerit ſtipes, & quare crux, declaratur.

ERAT in equulei machina (vt ſuprà tetigimus) ſtipes quidam oblongus, qui quatuor lignis, quaſi quatuor pedibus, ſuſtentabatur. de hoc meminit S. Hieronymus epiſt. ad Innoc. 49. his verbis: *Crines ligantur ad ſtipitem, & toto corpore ad equuleum fortiùs alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, vtrumque latus carnifex fodit*, &c. Ex hoc eodem ſtipite appellauit Prudentius in Romani martyris hymno totam equulei machinam ſtipitem noxialem; ſic enim ibidem cecinit:

Incenſus his Aſclepiades iuſſerat
Euiſcerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis vngulíſque creſcere.

Et paucis interpoſitis verbis:

Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.

Hæc Prudentius. Nec ſolùm reperitur equuleus ita vocatus, ſed alio quoque nomine, nempe (vt doctiſſimus Briſſonius docet lib. de verborum ſignificationibus) Mala manſio. Quamobrem dum ff. de pœnis legitur, *Extendebatur aliquis ad malam manſionem*, perinde eſt ac ſi diceretur, Extendebatur equuleo. Ad hæc, Crux etiam dictus inuenitur. Quocirca in Actis B. Dorotheæ virginis & martyris à Surio tom. 1. & à veteribus manuſcriptis in feſtiuitatibus Febr. recitatis, huiuſmodi verba de quodam Theophilo in equuleo torto narrantur: *Ecce modò Chriſtianus ſum; quia in cruce, id eſt, in equuleo, ſuſpenſus ſum. Equuleus enim crucis quamdam ſimilitudi-*

Equuleus dictus inuenitur mala manſio.

Equuleus crux dicitur.

Digitized by Google

nem gerit. hæc ibi. Et certè mirandum non eſt fuiſſe eum hoc modo nuncupatum, tum quia alia tortorum inſtrumenra cruces etiam dici quandoque legimus; tum quia corpora eorum, qui in eo rorquebantur, extendi ſolebant, non ſecus ac in crucem agendorum; tum demum, quia ligna illa, quæ erant quaſi equulei pedes, dum ſtipiti affigebantur, quodammodo coniungebantur inter ſe, atque conſtringebantur, licèt terram versùs aliquantulùm diſiungerentur: ex quo contingebat, vt duo ex illis lignis eſſent tamquam duo crucis brachia, id eſt, eius tranſuerſa.

Verùm rebus hiſce hoc modo expoſitis ac declaratis, reliquum eſt, vt fidenter iam argumentorum ſolutionem aggrediamur.

Primò itaque dicimus, noluiſſe Euſebium per verba illa, quæ contrarium opinantes adducunt, equuleum denotare, ſed genus illud compedum, quo rei in carcere poſiti, diuaricans cruribus, ad quartum vel quintum foramen diſtendebanrur.

Alteri deinde reſpondemus, verba Sozomeni nil contra ſenrenriam noſtram efficere: ſiquidem (vr diximus) Martyrem in equuleo ſuſpendi, idem prorſus erar, ac in eum eleuari; immo ipſemet Sozomenus hoc idem paulò pòſt oſtendere videtur, dum de eodem Chriſtiano loquens, ait: *In publicum locum ad equuleum deducens Buſirim, ſublimem ſuſpendi iubet. Tunc Buſiris, manibus ad caput ſublatis, ſua nudauit latera: & ad Præſidem dixit, non eſſe opus, vt lictores in ipſo tum in equuleum tollendo,* id eſt, eleuando, *tum inde rurſus deponendo, laborem fruſtra ſuſciperent: ſe enim*, &c.

Eodem quoque modo ſatisfieri puramus alteri Sozomeni auctoritati: nec mirum, ſi equuleum quidam ex eius interpretibus palum nominarunt; quia (vt ſuprà largiter copioſéque declarauimus) dictus eriam ſtipes inuenirur. His quoque addere poſſumus, Sozomenum forraſſe non ſemper equuleum denotare voluiſſe, ſed & quandoque erectum palum: his namque (ſicuti iam cap. 1. aſſeruimus) excruciandi homines alligari ſolebant.

Demum Prudenrij verbis reſpondeamus, & primùm ex hymno ſancti Romani depromptis, nimirum:

Scindunt vtrumque milites teterrimi

Digitized by Google

Mucrone biulco penſilis latus viri.

Penſiles fuiſſe reos ab equuleo, corpore incuruato, non autem recto, vide quæ ſuprà ſunt explicata.

Deinde aliis ex eodem loco deſumptis, nempe:

Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

His dicimus, per cataſtam (vt Pamelio loco ſuperiùs notato, & aliis placuit) intellexiſſe Prudentium locum quemdam editiorem, quem vulgò Palcum nominamus, non autem equuleum.

Deinde, ſi per cataſtam equuleum adhuc intelligere velles, non idcirco ſequeretur opinionem noſtram à veritate diſtare: ex Valerio enim Maximo iam ſuprà oſtenſum fuit, fuiſſe eum nonnihil eleuatum è terra. Quamobrem cecinit ille:

Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Verùm notari poſſet, non fuiſſe cataſtam (vt cuidam non diſplicuit) nouum aliud martyrij inſtrumentum, ſed vel locum editiorem, in quem torquendi eleuarentur, vel aliquod ex tortorum inſtrumentis, vt cratem ferream, equuleum, aut aliud huiuſmodi. Ceterùm fuiſſe equuleum cataſtæ nomine comprehenſum, innuunt inter alia S. Dorotheæ virginis res geſtæ à Surio tomo 1. relatæ: ibidem quippe narratur, dediſſe Iudicem nomine Sapritium beatæ martyri optionem hanc, velitne potiùs venerari deos, an in cataſta torqueri. Et reſpondente Chriſti virgine, numquam ſe deorum ſimulacris ſacrificaturam, iuſſit ille in equuleo torqueri. Cùm igitur antea minatus ei fuiſſet Sapritius, nulla equulei mentione facta, cataſtæ ſupplicium; conſequi ex hoc poſſe videtur, per cataſtam, equuleum denotare voluiſſe. Diximus, eius res geſtas hoc tantummodo innuere, quia affirmare etiam poſſemus, per cataſtam ibidem non equuleum, ſed locum illum editiorem intellexiſſe, in quem (vt ſuprà dictum eſt) cruciandi martyres eleuabantur. idem etiam penitus credimus aſſerendum de his, quæ in Actis S. Cyriaci martyris de cataſta referuntur, de qua ſimiliter plura egimus in tractatu quem vulgari ſermone de Inſtrumentis torquendi ſuperioribus annis in lucem edidimus.

Acta S. Cyriaci recitant vetera manuſcripta tum noſtræ bibliothecæ, tum S. Mariæ Maioris.

De compedibus, variiſque vinculorum generibus.

Qvoniam paulò ſuperiùs ſcripſimus, equuleum aliud fuiſſe à compedibus, quibus martyres ad quartum vel quintum foramen, diuaricatis cruribus, diſtendebantur; ideo animaduertere oportet, varia apud veteres extitiſſe vinculorum genera, compedes nimirum, neruos, catenas, numellas, pedicas, manicas, boias, ac carcerem. horum meminit Plautus in Aſinaria actu 3. his verbis:

Aduerſum ſtimulos, laminas, crucéſque, compedéſque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias.

Item de eiſdem Nonius Marcellus, Feſtus Pompeius, S. Iſidorus lib. 6. etymologiar. cap. vlt. Cælius Rodiginus lectionum antiquarum lib. 10. cap. 5. Sigonius de iudiciis lib. 2. cap. 3. & alij.

De compedibus.

Erant compedes ligneum inſtrumentum, quo captiuorum noxiorúmque pedes conſtringi, vinciri, atque irretiri ſolebant: ſic autem, Iſidoro auctore, dictæ, quia reorum pedes continebant. harum mentionem faciunt ex antiquis Plautus in Captiuis, dum ait:

Vbi ponderoſas craſſas capiat compedes.

Et Terentius in Phorm. actu 2. ſcena 1.

Molendum vſque in piſtrino, vapulandum, habendæ compedes.

Horatius epod. ode 4.

Ibericis peruſte funibus latus,
Et crura durâ compede.

Et lib. 1. epiſt. ad Quinctium 16.

----Argentum tollas licèt, in manicis &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.

Columella lib. 8. cap. 2. *Eáque quaſi compede cohibentur feri mores.* Martialis etiam lib. 5. in Zoilum:

Has cum gemina compede dedicat catenas.

Cicero pro Rabirio: *Cùm eſſet vna Glaucia, & iam ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus.* his addere poſſumus Euſebium hiſtor. lib. 6. cap. 32. & lib. 8. cap. 11. 12. & 14. loquentem de illo genere compedum, quo rei in carcere poſiti ad quartum aut quintum foramen diſtendebantur: item Nicephorum

Digitized by Google

lib. 7. cap. 9. & Prudentium periſtephan. hymno 4. & Acta martyrum quamplurima, vt Amphianij relata ab Euſebio lib. 8. cap. 14. & à Surio tom. 2. Trophimi à Metaphraſte Lipomani 6. & Surij 5. Romani ab hoc eodem ſcriptore tom. 6. Georgij à Metaphraſte Surij 2. atque à quodam Piſicrate martyris, vt fertur, ſeruo, apud eumdem loco iam notato.

Crudeliter hoc compedum genere ſancti martyres excruciabantur: nam (vt locis nuper citatis monemur) iidem poſt verberum perpeſſionem, vel vngularum foſſionem, cruribus diuaricatis, vi ad quartum aut quintum eorum foramen pedibus dumtaxat diſtendebantur. De his hæc Prudentius periſteph. hymno 4. dum ait:

In hoc barathrum coniicit
Truculentius hoſtis martyrem,
Lignóque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Ex quo tandem (vt Euſebius lib. 8. cap. 11. docet) contingebat, vt ſic diſtenti ſupini in ligno iacere neceſſariò cogerentur; ſic enim ait: *Nonnulli etiam poſt verbera in ligno poſiti, & per quatuor foramina pedes alter ab altero diſtenti, adeò vt etiam ipſi neceſſariò in ligno ſupini iacerent, licèt non poſſent, eò quòd vulnera recèns inflicta ab ictibus toti corpori habebant.* Et de compedibus hactenus.

De numellis.

HARVM Plautus meminit loco nuper citato, quæ à Nonio ſic definiuntur: *Numella eſt machina lignea genus ad noxios diſcruciandos olim parari ſolitum, quo & collum & pedes ipſorum immittebant antiqui:* hoc eſt, ligneum erat vinculum, quo reorum pedes & colla in foramina rotunda immittebantur, & ibidem, vt ſe educere nequirent, conſtringebantur.

Verùm credimus nos, fuiſſe numellam apud veteres vocem plurium vinculorum genera ſignificantem. adducimur autem ad hoc aſſerendum Sexti Pompeij auctoritate, qui de numella verba faciens, ita ſcriptum reliquit: *Numella genus eſt vinculi, quo quadrupedes alligantur: ſolent autem ea fieri neruo, aut corio crudo bouis vtplurimùm.* hæc ille. Cùm igitur aliter eam Nonius (vt ſuprà dictum eſt) definiat, conſequitur numellam, niſi velimus dicere horum aliquem mentitum fuiſſe, varia vinculorum genera denotare.

Digitized by Google

De neruo.

De neruo mentionem facit Plautus in Capt. act. 3. ſcena 5.

Nam noctu neruo vinctus cuſtodibitur.

Et Curcul. act. 5. ſcena 3.

Atque ita te neruo torquebo, itidem vt catapultæ ſolent.

Et alibi ſæpe. Item S. Cyprianus epiſt. 34. ad Clerum & plebem de Celerino ordinato lectore, dum de eodem Celerino ſcribens ait: *Per decem & nouem dies cuſtodia carceris ſeptus in neruo ac ferro fuit: ſed poſito in vinculis corpore, &c.* de iiſdem inſuper Cælius Rodiginus lectionum antiquarum lib. 10. cap. 5. Pamelius in prædictum Cypriani locum, & alij. Porro cum his verbis Sextus Pompeius deſcripſit, à quo ceteri deſumpſerunt: *Neruum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quamquam Plautus eo etiam ceruices vinciri ait: Perfidioſè captus eo Epol neruo ceruices probat.* hucuſque Feſtus. Ex quibus poſſumus nerui definitionem hoc modo elicere: Neruus eſt vinculi genus, quo pedes aut ceruices impediuntur. Hinc fortè emanauit illud Catonis apud Gellium lib. 2. cap. vlt. *Fures priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro, atque in purpura.* & ampliùs vſitatus ille ſacræ Scripturæ dicendi modus, ſcilicet, *In neruum mitti.* 2. Paral. 16. Iob. 13. & 33. & Hierem. 22.

De pedicis.

Pedicæ (vt Iſidorus ſcribit etymologiar. lib. 6. cap. vlt.) laquei erant, quibus captiuorum aut reorum pedes illaqueabantur; ſic dicti à pedibus capiendis: vnde ſicuti manuum vincula, manicæ à veteribus appellantur, ita pedum vincula ab iiſdem pedicæ dicuntur.

De manicis.

Manicæ, Iſidoro auctore, manuum ſunt vincula. De his pſalmus, *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* & Plaut. in Muſtel. actu 5. ſcena 1. dum inquit:

Vt cùm extemplo vocem
Continuò exiliatis, manicas celeriter connectite.

Et in Capt. act. 3. ſcen. 5.

Inicite huic actutum manicas maſtigia.

Virgil. Æneid. 2. his verbis:

Ipſe viro primus manicas, atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus.

Et demum Horatius lib. 1. epiſt. ad Quinctium 16.

----- in manicis &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.

Et alij, quorum dicta breuitatis causâ referre impræſentia omittimus.

Hæretici in Anglia hoc tempore manicis, vt vocant, ferreis Orthodoxos homines acerbè aſperéque diuexare non ceſſant. Sunt autem hæ tormenti genus, in quo quis, manibus in circulum quemdam ferreum dentatum inſertis, & fortiſſimè conſtrictis, ſuſpenditur & torquetur. Porro cruciatus iſte tam vehemens eſt & intenſus, vt niſi ſpina dorſi parieti aliquantulùm, ſummi verò pedum digiti pauimento nitantur, ſtatim homo deliquium patiatur. De his ſi plura noſcere cupis, lege concertationem Eccleſiæ Catholicæ aduersùs Caluinopapiſtas in Ioannis Hugonis & ſociorum examinatione, & Sanderi librum de ſchiſmate Anglicano, quo loco hoc cruciamenti genus chirothecas ferreas dictus auctor nominat. Et de manicis ſatis. Iam verò tranſeamus ad alia. Manicis ferreis vexantur Catholici in Anglia. Torqueri manicis ferreis quid ſit apud Anglos.

De boiis.

Legitur de boiis in Plauti Aſinaria loco ſuprà notato, in Iſidoro etymolog. lib. 6. cap. vlt. & in rebus geſtis ſanctorum, Alexandri nimirum Papæ & martyris apud Surium 4. & Balbinæ virginis apud eumdem eodem libro, & inſuper apud Petrum catalog. 4 cap. 19. & vetera manuſcripta. Deſcribuntur hæ huiuſmodi verbis: Boiæ erant quaſi torques damnatorum ligneæ, aut ferreæ, quæ ſic reos illaqueabant, vt fermè iuga ſuos boues. Ab his, opinamur, non fuiſſe fortaſſis diuerſa, ſed eadem illa alia vinculorum genera, quæ collaria à maioribus dicta reperiuntur, de quibus ita nobis Nonius ſcriptum reliquit: *Collare eſt vinculi genus, quo collum aſtringitur.* Lucil. lib. 29. *Cum manicis, catulo, collarique, vt fugitiuum deportem.* hæc ille. Siquidem boiæ (vt S. Balbinæ, atque Alexandri Papæ Acta apertè nos docent) fuerunt priſcis homini- Collare vinculi genus.

bus maximo vſui ad reorum damnatorúmque colla vincienda ac circumdanda. *Ampliùs, oſculans beata Christi virgo Balbina boias glorioſiſſimi martyris Alexandri Papæ, audiuit, vt prædicta Acta teſtantur: Deſine has boias, filia, oſculari, ſed require B. Petri domini mei vincula, illáque*, &c. Quocirca eadem fuiſſe aliquo modo conſtat. Igitur cùm in vinculis, quibus ſanctus Christi Apoſtolus alligatus fuit, quæ hîc in baſilica S. Petri ad Vincula adſeruantur, cernatur in hunc vſque diem quoddam collare ferreum, atque rotundum, quo collum eiuſdem aſtrictum fuit; ſequitur fuiſſe hæc vel ſimilia, vel paululùm oppido inter ſe differentia. Ac de boiis iam ſatis.

De catenis.

CATENA vinculum eſt ferreum, quo vel ſerui, vel captiui, vel animalia irretiri ſolent, ne effugiant: ita, Iſidoro auctore, dicta, quòd ſe capiendo teneat, quia in ea annulus annulum capit. Vnde Liuius primo ab Vrbe condita inquit: *Turnum ex ſomno excitatum circumſiſtunt cuſtodes, comprenſiſque ſeruis, qui caritate domini vim parabant, cùm gladij abditi ex omnibus locis diuerticuli protraherentur; enimuerò manifeſta res viſa, iniectæque Turno catenæ.* & Cicero 7. in Verrem. *Iſte*, ait, *hominibus miſeris innocentibúſque inici catenas imperat*, &c. Meminerunt de his etiam alij pene innumeri. Inſuper legimus ſæpiſſime in Actis Sanctorum, fuiſſe Chriſtianos perſecutionum temporibus ferreis catenis vinctos: atteſtantur hæc, inter alia, res geſtæ S. Anaſtaſiæ martyris Romanæ recitatæ à nobis in hiſtoria noſtra ſanctarum virginum Romanarum, B. Calliopij à Metaphr. Sur. tom. 2. S. Cyriaci à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, beatiſſimi Chryſanthi martyris à Surio tom. 5. & à codicibus ſimiliter noſtræ bibliothecæ manu exaratis, S. Febroniæ virginis à Metaphraſte apud Aloyſium Lipomanum tom. 7. Surium 3. & Mombritium 1. & prætereà aliorum Sanctorum vtriuſque ſexus innumerabilium. Porro ſi quis ſcire cupiat, quonam pacto rei antiquis temporibus catenis vincirentur, inuiſat, quæſo, quæ in Arcu Conſtantini Imperatoris ad hunc diem ſculpta atque inciſa cernuntur: ibi enim captiuos quoſdam illis alligatos intuebitur.

Rei antiquis temporibus quo pacto catenis vinciebantur.

De

De carceribus.

CARCER, teſte Iſidoro lib. etymolog. 6. cap. vltimo, eſt, in quo cuſtodiuntur noxij, vel vnde quis exire prohibetur, quaſi coarcer, à coërcendo: quòd nimirum in eo aſſeruati ac retenti, aliò ire (vt Varro ait de lingua Latina lib. 4) prohibeantur. Verùm constructum eum fuiſſe ab Anco Rege, ſcribit Liuius lib. 1. his verbis: *Quiritium quoque foſſa, haud paruum munimentum à planioribus aditu locis, Anci Regis opus eſt. Ingenti incremento rebus auctis, cùm in tanta multitudine hominum, diſcrimine rectè an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent, carcer ad terrorem increſcentis audaciæ, media vrbe, imminens foro, ædificatur. Nec vrbs tantùm hoc Rege creuit, &c.* hæc Liuius.

Carcer à quo primo Romæ conſtructus.

Ceterùm reorum cuſtodia apud maiores duplicis extitit generis, carcer videlicet, & priuata domus. In hanc ante confeſſionem reos tradere conſueuerunt antiqui: appellabantur autem liberæ cuſtodiæ, cùm apud magiſtratus domi, aut apud priuatos nobiles ponebantur cuſtodiendi, quemadmodum de Iudice Bacchanalium ſcriptum reliquit Liuius decadis quartæ lib. 9. his verbis: *Conſul rogat ſocrum, vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quò Hiſpala immigraret*, & quæ ſequuntur. Et paucis interpoſitis verſibus: *Conſules*, ait, *Ædilibus Curulibus imperarunt, vt ſacerdotes eius omnes conquirerent, comprehenſóſque libero conclaui ad quæſtionem ſeruarent.* Idem oſtendit quoque Salluſtius de coniuratione Catilinæ, inquiens: *Decreuit Senatus, vt abdicato magiſtratu Lentulus, itemque ceteri in liberis cuſtodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tunc Ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæſari, Gabinius M. Craſſo, Cæparius Gn. Terentio Senatori traduntur*, &c. quibus omnibus monemur, reos ante delictorum ſuorum confeſſionem in liberas cuſtodias tradi à maioribus conſueuiſſe; qui quidem ab iiſdem poſt confeſſionem in vincula publica coniici ſolebant: cuius rei teſtes ſunt Venulcius ff. de cuſtodia reorum, dùm ait: *Reus confeſſus, donec de eo pronunciaretur, in publica vincula coniiciendus.* & Scæuola: *Reus confeſſus ob ſolam confeſſionem coniici in vincula conſueuit.*

Carcer duplicis generis apud antiquos.

Rei ante delictorum confeſſionē in qua cuſtodia detinerentur.

Monemus hîc lectorem, Chriſti fideles perſecutionum temporibus, non tantùm in Tullianum, ac Mamertini cuſtodias fuiſſe incluſos, ſed frequenter etiam apud priuatorum domos militari cuſtodia detentos. Indicant hæc innumeræ ferè

De Chriſtianorum carceribus.

Digitized by Google

ſanctorum martyrum res geſtæ, ſpeciatim Stephani, atque Alexandri Romanorum Pontificum.

De cuſtode Commentarienſi, eiuſque munere.

FVIT autem cuſtos quidam carceris, quem Commentarienſem vocat Plinius lib. 7. c. 38. qui Triumuiro capitali, cuius ſumma carceris & animaduerſionis cura fuit, patebat. Demonſtrat hoc Valerius Maximus lib. 5. ſcribens, cuſtodem carceris, pietatem filiæ, quæ in carcere matrem lacte ſuſtentauerat, ad Triumuirum detuliſſe. Agitur de Commentarienſi à Sigonio lib. 2. de antiquo iure prouinc. cap. 2. & à Cæſare Baronio in Notis ad Rom. Martyrologium. Huius præcipuum munus erat, coniectos in carcerem in libello quodam ſcribere. colligitur hoc ex l. de his ff. de cuſtod. reorum. ibidem enim ſic legitur: *Niſi intra trigeſimum diem ſemper Commentarienſis ingeſſerit numerum perſonarum, varietatem delictorum, clauſorum ordinem, ætatémque vinctorum; Officium viginti auri libras ærario noſtro iubemus inferre*, & reliqua. Spectabat inſuper ad eoſdem vinctorum cuſtodia, vt l. Commentarienſis ff. eodem. Erat præterea & aliud Commentarienſium genus, ex quorum numero erant illi, quibus commentarij Imperatorum committebantur: eorum etenim manu acta apud Fiſcum (ſicuti Paulus, l. in fraudem §. à debitore. ff. de iur. fiſc.) ſubſcribi ſolebant. Inuenitur etiam Commentarienſis nomen extitiſſe ordinis & promotionis in militia caſtrenſi, veluti Princeps, Accenſus, & Cornicularius, de quibus Cælius Rodiginus lection. antiquar. lib. 17. cap. 10. & Sigonius loco nuper citato, vbi dilucidè ſatis de Corniculario & aliis pertractat. Et hæc de carceribus.

De quibuſdam aliis vinculorum generibus.

De loris item cap. ſequenti.

Lorarij qui vocabantur.

HIS adiungere poſſumus lora, quibus (vt ſcribit Rodiginus lection. antiquarum lib. 10. cap. 5.) rei vinciebantur. Hinc lorarij, quorum ſæpe meminit Plautus, dicebantur illi, ad quos ſpectabat aliquem ex conſeruis iuſſu domini aut vincire, aut loris cædere. Vocabantur præterea hoc eodem nomine lictores, & magiſtratuum miniſtri, qui eis in prouincias proficiſcentibus miniſtrabant, faceſque præferebant.

Lege Plaut. Epid act. 5. ſcen. 2. Ac de vinculorum generibus, atque antiquorum equuleo iam hactenus.


De equuleo hæreticorum in Orthodoxos adhibito, déque carceribus atque diuerſis pœnarum generibus, quibus potiſſimùm ibidem detenti ab iiſdem torquentur.

Noua equulei forma in Anglia, quâ homines Catholici hoc tempore ab hæreticis cruciantur.

HÆRETICI hoc ipſo tempore exiſtentes (vt teſtatur Sanderus de origin. & progreſ ſchiſm. Anglic. Theatrum crudelitatum hæreticorum noſtri temporis, & libellus qui de perſecut. Anglicana inſcribitur) Campianum Societatis Ieſu religioſum, Scheruinum, Briantum, Ianſonium, Boſghrauium, & alios ſacerdotes, ad omnium membrorum vſque diuulſionem, & pene ad mortem ipſam, inſtrumento quodam, ab ipſis equuleo nuncupato, torſerunt. Id eſt tormenti genus, in quo ſupinum hominem primò extendunt, manúſque ac pedes articulatim ligant; funes deinde, quibus ligatus eſt, rotis quibuſdam paulatim eò vſque trahunt, donec omnia membra luxentur. Hoc acerbiſſimo immaniſſimóq; cruciatu diuexant hi recentiores hæretici noſtri temporis (vt docet liber qui Anglicanæ Eccleſiæ trophæa nuncupatur) Catholicos in carceribus poſitos, quos etiam aliis ibidem modis affligunt: quandoque enim ſub digitorum vnguibus aculeos ferreos, longioréſque acus infigunt: quandoque cippis ligneis (vt de quodam presbytero eodem lib. narratur) pedibus in altum erectis conſtringunt, eóſque tamdiu ſic detinent, donec excrementorum ſuorum fœtore ſuffocentur: nonnumquam etiam inſtrumento quodam ferreo, quod globi inſtar hominem comprimit atque rotundat, includunt, & in eo horas aliquot detinent, vel vi è carceribus educunt, & ad miniſtrorum hæreticorum conciones violenter pertrahunt, vel catenis (vt annotat Sanderus lib. 1. de ſchiſmate Anglicano, & Theatrum crudelitatum) binos & binos inuicem colligant, & ex carcere putrido in putridiorem & horridiorem transferunt. De carceribus Catholicorum vide libellum de perſecutione Anglicana, quem hîc integrum poſſemus tranſcribere.

A Martyr in equuleo.
B Martyr pendens ab equuleo.
C Equuleus.
D Faſces conſulares.
E Tabulatum cui impoſitus erat equuleus.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPVT IV.

De inſtrumentis, quibus martyres cædebantur.

VINCVLORVM generibus equuleóque explicatis, iam tempus eſt, vt ad varias flagellorum ſpecies declarandas nos ipſos conferamus. Sæpiſſime enim ſolebant Gentiles (ſicuti nonnullæ ex rebus geſtis Sanctorum iam antea notatæ indicant, nominatim Creſcentiani, Reginæ virginis, & Baſſi Epiſcopi) Chriſtianos equuleis alligatos, miſerandum in modum virgis, fuſtibus, aliiſque flagellis cædere; poſtea vngulis, vel conſimilibus excarnificare; demum facibus, lampadibus, & candentibus laminis torrere. Quocirca primo loco de flagellis peragemus; deinde de vncis, vngulis, & pectinibus; poſtremo de facibus, lampadibus, & laminis igneis.

Quod verò attinet ad flagella; ſciri conuenit, extitiſſe ea apud veteres multiplicis generis, nempe lora, flagra, fuſtes, virgas, ſcorpiones, neruos, atque plumbatas.

De loris.

MEMINIT de loris Plaut. Epidic. act. 5. ſcen. 1. his verbis:

> *Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.*
> *Periphanem emere lora vidi.*

Item Terentius in Adelph. actu 2.

> *Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intrò arripiere, atque ibi*
> *Vſque ad necem operiere loris.*

& quæ ſequuntur. Cicero Philip 8. *Cùm eum iuſſu Antonij in conuiuio ſerui publici loris ceciderunt.* ad hæc de iiſdem Acta martyrum quamplurima, videlicet ſanctorum Aſterij & ſociorum recitata à Surio tom 4. Tyrſi à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Metaph. Lipoman. 5. & Surij 6. Marini à Petro catalog. lib. 2. cap. 6. Eudoxij à Metaphr. apud Surium tom. 5. Eulampij, atque Euphemiæ virginis ab eodem ſcriptore apud eumdem Surium tom. ſimiliter 5. &

aliorum vtriuſque ſexus Chriſti martyrum.

Erant lora apud veteres, corrigiæ ex corio factæ, quibus (vt ex citatis Plauti potiſſimùm ac Terentij locis colligitur) ſerui verberari ſolebant. Quamobrem mirabile videri non debet, ſi in Sanctorum paſſionibus reperiatur frequenter, loris Chriſti fideles cæſos fuiſſe: ipſi etenim à Gentilibus tamquam plebei, infimæque conditionis homines habebantur. Hiſce loris non ſolùm (vt iam diximus) martyres vinciebantur, & cædebantur, ſed etiam diſcerpebantur: cuius rei teſtes ſunt Acta B. Tyrſi martyris nuper à nobis citata his verbis: *Statim ergo cùm illi*, id eſt Præſidi, *iamdiu intumeſceret animus; adoleſcentes aliquot manu valentes, vehementer inſultantes, iuſſit pugnis cædere martyrem. Deinde, cùm eum loris è ſummis manibus & pedibus fortiter alligaſſent, vtrinque violenter trahebant; adeò vt ei ſoluerentur compages articulorum, membratímque & particulatim diſcerperetur.*

Lora quid apud veteres.

Martyres cur loris cæſi.

FIGVRA SECVNDA

De neruis quibus pariter cædebantur martyres.

NERVVS (vt cap. præcedenti oſtenſum fuit) varia denotat: nonnumquam enim quoddam vinculi genus ſignificat, quo noxij alligabantur, de quo ibidem diximus; quandoque verò flagelli genus, quo olim Chriſtiani veri Dei amore incenſi, à Gentibus verberabantur; & de hoc nunc agimus. quod quidem animalium erat, & præcipuè boum.

Hoc itaque verberati fuerunt glorioſiſſimi Chriſti athletæ, [a] Ananias, [b] Iſidorus, [c] Agapirus, [d] Iuſtus, [e] Bacchus, [f] Benedictà virgo, [g] Probus, [h] Mauritius cum ſociis, [i] Nicetà, [k] Callinicus, [l] Aſterius, [m] Benignus, [n] Hieron, [o] Menna, [p] Tertullinus, aliique permulti, quorum nomina ſunt in libro vitæ.

[a] *Acta S. Ananiæ Menologium deſcribit Kal. Octob.*
[b] *Iſidori Surius to. 1. ex Metaphr.*
[c] *Agapiti Petrus lib. 7. cap. 74.*
[d] *Iuſti Menologiũ vide Id. Iulij.*
[e] *Bacchi Petrus lib. 9. cap. 29.*
[f] *Benedictæ not. in hiſt. Virg. Rom.*
[g] *Probi Petrus lib. 9. c. 52. ſub S. Taraci inſcriptione.*
[h] *Mauritij & ſociorum Surius tom. 4. ex Metaphr.*
[i] *Nicetæ Petrus lib. 8. c. 70*
[k] *Callinici ex Metaph. Surius 4.*
[l] *Aſterij Surius 4.*
[m] *Benigni Sur. 6.*
[n] *Hieronis & ſociorum ex Metaph. Surius 6.*
[o] *Mennæ Surius 6.*
[p] *Tertullini Surius 4 ſub S. Stephani nomine.*

De fuſtibus, ac flagris.

FVSTIBVS ac flagris ſæpiſſime Chriſti fideles cædebantur. Erant flagra (quorum meminit Iuuenalis ſatyr. 5. S. Cyprianus epiſt. 2. ad Donatum, & de laude martyrij, Suetonius in Othone, & Euſebius lib. 8 cap. 7. atque alij) fuſtibus tenuiora, ac ſubtiliora, virgíſque craſſiora: huiuſmodi ſiquidem verba in 8. Codicis Theod. tit. 5. de curſu publico, an-

gariis, & perangariis, l. 2. habentur: *Placet omnino, vt nullus in agitando fuſte vtatur, ſed aut virga, aut certè flagro, cuius in cuſpide infixus ſit breuis aculeus.* hæc ibi: quibus ſatis docemur, flagra apud maiores fuiſſe vt diximus.

Flagris qui cædebantur.

His, præter Chriſtianos, verberari iubebantur viliores perſonæ (vt Plautus in Amphitryone actu 1 ſcen. 1. innuit) & virgines illæ Veſtales etiam, quarum negligentiâ ignis Veſtæ falſæ Romanorum deæ impiè conſecratus reſtingueretur. Lege Valerium Max. lib. 1. cap. 1. & Liuium lib. 8. At reuertentes modò ad ſanctos Domini noſtri Ieſu Chriſti martyres, dicimus multos ex eorum numero flagris cæſos fuiſſe, atque fuſtibus; his Felix, Alexander Epiſcopus, Secundianus, Marcellianus, Priuatus Epiſcopus, Romanus, Euſebius, Vincentius, Peregrinus, Maxima, Seraphia, Baſſus Epiſcopus, Creſcentianus, Cyriacus, Sebaſtianus, Papias, Maurus, Valentinus, Maximus, Olympiades, Eraſmus, Proceſſus, Martinianus, alter item Felix, Philippus, Iulius Senator, Protaſius, & alij. Flagris verò ſancti martyres Neophytus, Iulianus, Eunus, Petrus, Marinus, Gorgonius, Dorotheus, Mamans, Galation, Tryphon, Sabbatius, atque quamplures alij, quorum ignorantur nomina, de quibus Martyrologium Rom. 10. Kal. Martij ſic ſcriptum reliquit: *Tyri in Phœnicia commemoratio beatorum martyrum, quorum numerum ſolius Dei ſcientia colligit: qui ſub Diocletiano Imperatore à Veturio militum magiſtro multis tormentorum generibus ſibi inuicem ſuccedentibus occiſi ſunt: primò quidem flagris toto corpore dilaniati, inde diuerſis beſtiarum generibus traditi, ſed ab illis diuina virtute nil læſi: pòſt addita feritate ignis ac ferri, martyrium conſummarunt.* hactenus Martyrologium Romanum.

Felicis Acta, Surius 4. ex Alone. SS. Secundiani, & ſocior. Surius eod. lib. Romani Surius item eodem cum Actis S. Laurētij Euſebij & ſocio. Petrus lib. 7. c. 111. Maxima idem l. 1. c. 14. Seraphia Surius 5. & vetera manuſcript. Alexandri Petrus lib. 8 c 182. Baſſi, vide ſuprà. Creſcentiani, & Cyriaci Surius 1. Sebaſtiani vetera manuſcripta, & Surius 1. SS. Papiæ & Mauri nos in hiſt. Virg. Rom. Valentini Sur. 1. Maximi, & Olympiadis Surius 4. cum Actis S. Laurentij. Eraſmi Mombritius 1. SS. Proceſſi & Martiniani Mombrit. 2. SS. Felicis & Philippi Mombr. 1. ſub ſanctæ Felicitatis nomine. Iulij Petrus 7. c. 73. Protaſij Mombr. 1. Metrani Euſeb. lib. 6. cap. 30. Neophyti Menologium 13. Kal. Febr. SS Iuliani & Eun Euſeb. lib. 6. cap. 30. & Niceph. lib. 5. cap. 50 Petri Euſeb. lib. 8. c. 6 Marini Menologium 6. Id. Auguſti Gorgonij & Dorothei Surius 6. & vetera manuſcripta. Mamantis Surius 4. ex Metaphr. Galationis idem lib 6. ex Metaphr. Tryphonis Surius 1. ex Metaphr. Sabbatij Menolog. 13. Kal. Octob. vide Euſebium lib. 8. c. 70.

Sciri hoc loco debet, Chriſtianos fuſtibus, flagríſque tamdiu interdum cæſos fuiſſe, donec expirarent. Hoc modo è vita migrarunt fortiſſimi Chriſti milites Sebaſtianus, Iulius Senator, Maxima virgo, Euſebius, Vincentius, Peregrinus, Sabbatius, aliíque promiſcui ſexus multi.

De

Digitized by Google

De fuſtibus, decimatione, aliiſque militum pœnis.

Pœnæ militum.

QVONIAM crebrò in ſanctorum martyrum rebus geſtis legitur Chriſtianos, & præcipuè milites, fuiſſe ignominiæ cauſâ ad fodiendum damnatos, fuſtibus, virgíſque percuſſos, cingulo militari exutos, & decimatos, quæ omnia & ſingula pœnæ erant militum Romanorum delinquentium, idcirco placuit nobis hoc loco adnotare, quænam, & quot in eos fuerint animaduerſiones: multæ enim extiterunt, atque earum quidem aliæ leuiores, aliæ acerbiores: ſiquidem non, vt in Vrbe lex Porcia ciues Romanos à magiſtratuum virgis & ſecuribus, ſic etiam in caſtris vindicauit: aliam enim diſciplinam militarem eſſe voluerunt, aliam vrbanam, itémque alium ad parendum terrorem exercitui, alium populo eſſe propoſitum: namque ab Imperatoris imperio nulla erat prouocatio.

Pœnæ militum leuiores.

Leuis in eos animaduerſio fuit, quâ dedecore maculáque dumtaxat afficiebantur, vt per ignominiam dimitti, ſtipendio legitimo ſpoliari, haſtam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hiemare, cibum ſtantes deſumere, foſſam fodere, diſcinctum deſtitui, hordeo paſci, venam ad ſanguinem dimittendum incidere.

Pœnæ grauiores.

Grauior, quæ detrimentum inferebat, veluti virgis cædi, venire, fuſte ſecurique percuti, decimari, in crucem agi; quarum omnium exempla clara certè atque illuſtria referemus ex Sigonio lib. de antiquo iure ciuium Romanorum 1. cap. 15.

Et primùm de ignominioſa dimiſſione factum extat apud A. Hirtium his verbis deſcriptum: *Cæſar de ſuggeſtu conuocatis omnium legionum Tribunis, Centurionibúſque, C. Auiene, inquit, quòd in Italia milites populi Romani contra Remp. inſtigaſti, rapináſque per municipia feciſti, ignominiæ causâ ab exercitu meo te remoueo.*

De fraudatione ſtipendij ſatis notum eſſe opinamur. Siquidem ære diruti vocabantur (Nonio auctore) milites illi, quibus propter ignominiam ſtipendium, id eſt merces menſtrualis, aut annua, quæ eſſet in nummis æreis, ſubtrahebatur. Quamobrem Varro relatus ab eodem de vita populi Romani: *Stipendium appellabatur*, ait, *quòd æs militi ſemeſtre, aut annuum dabatur: cui datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus*

eſſet. Et Liuius lib. 40. *Cauſâ ignominiæ*, inquit, *vti ſemeſtre ſtipendium in eum annum eſſet ei legioni decretum.*

Ceterùm Feſtus, ære dirutum militem, tradit ab antiquis dictum, cui ſtipendium ignominiæ causâ non erat datum: quod quidem æs in fiſcum, non in militis ſacculum diruebatur. Item alio loco, reſignatum, inquit, æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod iuſſu Tribuni militum, ne ſtipendium ei detur, in tabulas refertur.

De reliquis verò animaduerſionibus, vt de haſta danda, Feſtus in hunc modum: *Cenſio haſtaria dicebatur, cùm militi mulctæ nomine ob delictum militare indicebatur quòd haſtas daret.*

De mutando tentorij loco, ſcribit Polybius, quos dedecore afficere voluerint, eos extra caſtra tendere iuſſos. Vnde apud Liuium lib. 25. Cannenſes milites queruntur ita: *Nunc deteriore conditione ſumus, quàm apud patres noſtros fuerunt captiui: quippe illis arma tantùm, atque ordo militandi, locúſque in quo tenderent in caſtris, eſt mutatus; quæ tamen ſemel nauata Reip. opera, & vno felici prælio recuperarunt.*

De hibernis Liuius lib. 26. *Additum vtrorumque ignominiæ, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propiùs vllam vrbem decem millibus paſſuum ædificarent.*

De cibo lib. 24. idem auctor: *Nomina*, ait, *eorum, qui detractæ pugnæ memores ſeceſſionem paulò antè fecerunt, referri ad me iubebo, citatóſque ſingulos iureiurando adigam, niſi quibus morbus cauſa erit, non aliter quàm ſtantes cibum, potúmque, quoad ſtipendia facient, capturos eſſe.*

De fodiendo teſtis eſt Plutarchus in Lucullo, antiquum ſcilicet militaris ignominiæ genus fuiſſe, vt tunicis interioribus ſolutis, foſſam fodere, inſpectante reliquo exercitu, cogerentur.

De reliquis Liuius lib. 27. *Cohortibus, quæ ſigna amiſerunt, hordeum dari iuſſit; Centurionéſque manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit.* Hordeum item pro tritico dedecoris gratiâ datum narrat Polybius.

De mittendo ſanguine Gellius lib. 10. cap. 8. his verbis: *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduerſio, iubere ignominiæ causâ militi venam ſolui, & ſanguinem dimitti.* & quæ ſequuntur.

De grauioribus autem ceteris hæc erunt documento. Liuius de Scipione diſciplinam militarem ad Numantiam corri-

gente : *Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus; ſi extraneus, fuſtibus cecidit.* & alibi: *P. Naſica & D. Bruto Coſſ. delectum habentibus, in conſpectu tyronum res ſaluberrimi exempli facta eſt. Nam C. Matienus accuſatus eſt apud Tribunos plebis, quòd exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatúſque ſub furca diu virgis cæſus eſt, & ſeſtertio nummo veniit.* & Cicero 3. in Antonium : *Si Conſul ille, fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem reliquerunt.*

Porro, Polybio auctore, hoc pacto fuſte cædebantur. Accepto fuſte Tribunus vix tantùm attingebat damnatum. quod vbi factum erat, omnes, qui in caſtris reperiebantur, cædentes fuſtibus, lapidibúſque, pleroſque in ipſis caſtris conficiebant: at ſi qui euaſiſſent, ne ſic quidem ſeruari poterant, quippe quibus neque in patriam redire liceret, neque à propinquis domo recipi poſſent.

Ceterùm decimationis antiquiſſimum exemplum legitur apud Liuium ab Appio Claudio Conſule ferociſſimi ingenij viro editum, cuius etiam libet verba apponere: *Appius Claudius Conſul, aduocata concione, inuectus haud falsò in proditorem exercitum militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorum; vbi ſigna, vbi arma eſſent, ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno emiſſo ſigniferos, ad hoc Centuriones, duplicarióſque qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit: cetera multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.* rationem autem huius exequendi imperij cùm Polybius lib. 6. tum Liuius exponit, vbi de Scipione pœnas de ſeditioſo exercitu apud Sucronem repetente ſcribit, & quidem ita: *Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in conſilio: nudi in medium protrahebantur, & ſimul omnis apparatus ſupplicij expromebatur. deligati ad palum, virgíſque cæſi, & ſecuri percuſſi.*

De cruce idem Liuius lib. 30. *De perfugis grauius, quàm de fugitiuis conſultum. Nominis Latini qui erant, ſecuri percuſſi, Romani in crucem ſublati ſunt.* Atque hæc quidem ſunt militarium animaduerſionum genera, quæ vſque ad extrema etiam penetraſſe Reip. tempora, ſatis idoneus teſtis eſt Suetonius, cùm inquit de Auguſto: *Cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas, hordeo pauit; Centuriones ſtatione deſerta, itidem vt manipulares, capitali animaduerſione puniuit; pro cetero delictorum genere variis ignominiis affecit, vt ſtare per totum diem iuberet ante prætorium, interdum tunicatos, diſcinctóſque, nonnunquam cum decem-*

Digitized by Google

pedis, vel etiam caſpitem portantes. Atque hæc quidem exempla de militum pœnis ſatis ſint. de iiſdem ſcribit quoque Cælius Rodiginus lectionum antiquar. lib. 10. cap. 5. Verùm quod iam ſpectat ad milites Chriſtianos à Gentilibus martyrio coronatos, notari poteſt (veluti ex eorum rebus geſtis apparet) fuiſſe eos interdum ad fodiendam terram damnatos, vel decimatos; interdum verò, imò frequenter fuſtibus, virgíſque cæſos, vel diſcinctos, hoc eſt, cingulo militari ſpoliatos.

De militibus Chriſtianis ad fodiendam terram condemnatis teſtimonium dant res geſtæ S. Marcelli Papæ, in quibus hæc in ipſorum exordio deſcribuntur: *Tempore illo, quo Maximianus ex partibus Africa rediit in vrbem Romam, volens placere Diocletiano, vt in eius nomine Thermas ædificaret, cæpit ob inuidiam Chriſtianorum omnes milites, ſiue Romanos, ſiue alterius gentis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare.* hæc Acta. Idem etiam videre poterit lector in Actis ſanctæ Seueræ virginis Romanæ.

Decimationis verò fidem faciunt res geſtæ beatiſſimorum Chriſti martyrum Mauritij & ſociorum à Surio tom. 5. relatæ, in quibus eiuſmodi verba narrantur: *Decimum quemque morti funeſtæ ſors præbeat.* at quid aliud erat decimare, niſi decimum quemque militum interficere? Lege, ſi libet, Tacitum lib. 3. ita ſcribentem: *Decimum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſte necat.* & lib. 14. ſic: *Ex fuſo exercitu cùm decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur.* huc-uſque ille.

FIGVRA TERTIA At alterius, hoc eſt fuſtuarij, paſſiones ferè ſingulæ ſanctorum militum Chriſtianorum, quibus pro Chriſti nomine breui hac atque exigua vita priuati, dulce, iucundúmque fuit.

Vnum te obſeruare oportet, nimirùm non tantùm milites Chriſtianos fuſtibus cæſos fuiſſe, ſed & ceteros fideles ſimiliter: legibus namque Romanorum (ſicuti in Notis ad Romanum Martyrologium habetur) ex prudentum reſponſis cautum erat, vt qui ſe Deo plenos ſimularent, fuſtibus percuterentur. ſic Paul. lib. 5. ſent. tit. 21. de vaticin.

Poſtremo denique, teſtimonio ſunt Acta Euſtratij à Petro relata lib. 1. cap. 61. Artemij à Metaphr. apud Surium tom.

6. Heſychij à Petro ſimiliter lib. 10. cap. 76. Marcelli cuiuſdam Centurionis à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Surio tom. 5. Eudoxij, Zenonis, Macarij, ſociorúmque mille centum & quatuor à Metaphr. Lipom. 6. ac Surij 5. ſub ſancti Romuli martyris titulo, itémque SS. ſeptem militum Orentij, Herois, Pharnacij, Firmini, Firmi, Cyriaci, & Longini à Rom. Martyrolog. & Menolog. VIII. Kal. Iulij, & aliorum : quorum Actibus, præcipuè S. Marcelli, inſtruimur, fuiſſe cingulum militare omnino idem, quod balteum. hæc enim ibi narrantur: *In ciuitate Tingitana, procurante Fortunato præſide, aduenit natalis dies Imperatoris. Ibi cùm omnes in conuiuiis epularentur, atque ſacrificarent; Marcellus quidam ex Centurionibus legionis Traianæ, profana reputans illa conuiuia, reiecto cingulo militari coram ſignis legionis, quæ tunc aderant, clara voce teſtatus eſt, dicens: Ieſu Chriſto Regi æterno milito. Abiecit quoque vitem, & arma, & addidit: Ex hoc militare Imperatoribus veſtris deſiſto.* & paulò pòſt: *Stupefacti autem milites iſta audientes, tenuerunt eum, & nunciauerunt Aſtaſiano Fortunato Præſidi legionis, qui iuſſit eum coniici in carcerem. Finitis autem epulis, reſidens in conſiſtorio, præcepit introduci Marcellum Centurionem. introductóque Aſtaſianus Fortunatus Præſes ei dixit: Quid tibi viſum eſt, vt contra diſciplinam militarem te diſcingeres, & balteum ac vitem proiiceres?* & paucis interpoſitis verſibus: *Miles hic, reiecto cingulo militari, Chriſtianum ſe eſſe teſtatus, coram omni populo in deos & in Cæſarem multa blaſphema locutus eſt. ideo ad te direximus, vt quod de eodem claritas tua ſanxerit, iubeas obſeruari.* hæc cuſtodes de beato Marcello ad Agricolaum Iudicem, ad quem tunc, vt condemnaretur, miſſus fuerat. Cùm igitur horum actuum exordio legatur, proieciſſe Marcellum cingulum militare; & deinde inferiùs, dum à Præſide accuſaretur, proieciſſe eum balteum, & pòſt iterum cùm Agricolao de ipſomet à militibus ſermo fieret, cingulum; ſequitur profectò ex his idem omnino fuiſſe. Porro balteus, teſte Varrone de lingua Latina lib. 4. cingulum erat ex corio bullis ornatum, quod ab humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducebatur; ſic namque de eo ſcriptum reliquit Quintilianus lib. 11. *Sinus ille, qui ab humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur, velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* hæc ille.

Hìc vnum obſeruet lector, nimirum tantam fuiſſe mili-

Digitized by Google

tum Chriſtianorum conſtantiam, tantúmque pariter pro Chriſti fide patiendi ardorem, vt ſæpiſſimè de ipſis inueniatur, ſponte in Gentilium Imperatorum, aliorúmque Præſidum contemptum, cingulum militare abieciſſe. Quamobrem de S. Heſychio hæc verba leguntur: *Qui cùm eſſet miles, & audiſſet præceptum Maximiani, vt ſi quis non ſacrificaret idolis, cingulum militare deponeret; repentè ac ſponte cingulum ſoluit.* & de SS. Eudoxio & ſociis: *Eudoxius, zonâ ſtatim ablatâ, eam proiecit in faciem Præſidis: hoc autem viſum eſt aliis adhortatio, & zelus: & totus qui circumſtabat numerus, qui erant mille centum & quatuor, bono exemplo protinus vtentes Eudoxij, ij quoque proiecerunt zonas in faciem illius.* idem etiam habetur in rebus geſtis S. Marcelli, quarum verba nuper recitauimus. Atque de pœnis militum Chriſtianorum hæc hactenus.

De virgis, atque ſcorpionibus.

FREQVENTER de virgis, quibus rei cædebantur, mentionem facit Plautus diuerſis in locis, nimirum Aſinar. act. 2. ſcen. 2. & act. 3. ſcen. 2 Capt. act. 3. ſcen. 4. Caſin. act. 5. ſcen. vlt. Epidic. act. 1. ſcen. 1. & act. 2. ſcen. vlt. Bacch. act. 4. ſcen. 6. Men. act. 1. ſcen. 5. Milit. glorioſ. act. 2. ſcen. 6. & act. 3. ac 7. & alibi ſæpe. Item Plinius lib. 16. cap. 18. Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. Cicero pro Rab. necnon etiam lib. de diuinat. & de finib. bonor. & malor. S. Iſidorus etymolog. 6. cap. vlt. Prudentius in S. Romani martyris hymno, Sigonius lib. 3. de iudiciis cap. 3. Baronius in Notis ad Rom. Martyrologium, atque alii multi.

Virgæ multiplicis generis. Ex vlmo.

Erant virgæ apud veteres multiplicis generis: quædam ex vlmo, & harum meminit Plautus Aſinar. act. 2. ſcen. 2. dum ait:

Ipſos, qui ſubuectabant rure huc virgas vlmeas, &c.

Et paulò poſt:

Mihi tibíque interminat' ſt, nos futuros vlmeos.

& act. 3. ſcen. 2.

Vbi ſæpe ad languorem tuâ duritiâ dederis octo
Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis.

& Epidic. act. 2. ſcen. vlt.

Quod pol ego metuo, ſi ſenex reſciuerit,
Ne vlmeos paraſitos faciat.

Digitized by Google

Hæc Plautus : quibus monemur ſolitos fuiſſe veteres virgis his vlmeis ſeruos vel maximè corripere.

Erant inſuper aliæ ex betula, de quibus ſic Plinius loco ſuperiùs citato literis conſignatum reliquit: *Gallica hæc arbor* (hoc eſt betula) *mirabili candore, atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis. eadem circulis flexilis, item corbium ſportis.* hactenus ille. Virgæ ex betula.

Præterea quædam aliæ erant ex quercu, aliæ ex fraxino, aliæque demum ex ſalice. Virgarum primi generis teſtes ſunt Acta S. Acatii Centurionis deſcripta à Metaphr. apud Surium 3. & Lipomanum 7. Alterius, res geſtæ cuiuſdam martyris, Alexandri nomine ab eodem auctore apud eoſdem tom. 3. & 7. Tertii verò generis Prudentius in S. Romani martyris hymno his verſibus: Virgæ ex quercu, fraxino & ſalice.

Cùm puer torqueretur iuſſu Præſidis,
Impacta quoties corpus attigerat ſalix,
Tenui rubebant ſanguine vda vimina.

Poſſumus hoc idem confirmare ex his, quæ memoriæ tradidit Plautus Epid. act. 1. ſcen. 1. dum ait:

Lictores duo, duo viminei faſces virgarum.

Vimina quippe fiunt ex populorum virgis, vlmi, & ſanguineorum fruticum, & betulæ, & vitis, & coryli intortæ, & ſalicis, quæ principatum obtinet.

De virgis ex vite confectis.

VIRGIS ex vite confectis cædebantur milites rei: vnde nos non latere oportet (vt optimè obſeruauit Sigonius de antiquo iure prouinc. lib. 2. cap. 2.) Centurionum inſigne vitim fuiſſe, eáque minus promptos ad parendum milites caſtigari conſueuiſſe. declarat hoc Plinius lib. 14. cap. 1. *Centurionum in manu vitis opimo præmio tardos ordines ad lentos perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat.* Tacitus lib. 1. *Centurio Lucillus in ſeditione interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant; quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat.* hæc Tacitus. Hinc Iuuenalis etiam de Mario ſatyra 8. dixit:

Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrá muniret caſtra dolabrá.

Et Sil. lib. 12.

Miſcebat primas acies, Latiaque ſuperbum
Vitis adornabat dextra decus.

Et de virgis ex vite factis hæc iam ſatis.

De virgis ferreis & plumbeis.

QVAMVIS virgæ, quibus rei cædebantur, fierent vtplurimum ex tenuibus arborum bacillis; nonnumquam tamen ex ferro etiam, plumbóue fiebant. Innuunt hoc aliqua ſanctorum martyrum Acta, nempe Pauli, & Iulianæ à Metaphr. deſcripta Lipom. 7. & Surij 3. Cucuphatis à Surio tom. 4. Chriſtophori, atque Callinici à Rom. Martyrologio, illius octauo Kal. Auguſti, huius quarto Kal. eiuſdem. Item Acatij martyris à Metaphr. apud Lipom. 7. & Surium 3.

De virgis ſpinoſis, hoc eſt, de ſcorpionibus.

NON ſolùm lenibus virgis ſolebant antiqui ſuos delinquentes, ac Chriſtianos homines corripere, ſed etiam nodoſis, atque aculeatis, quæ quidem proprio nomine ſcorpiones ab iiſdem vocabantur. indicat hoc Iſidorus etymolog. lib. 6. cap. vlt. inquiens: *Virgæ ſunt extremitates frondium, arborúmque: ſi lenis, virga eſt; ſi autem nodoſa, vel aculeata, ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.* hactenus ille. Vnde fit, vt ſi occurrerit quandoque in ſanctorum martyrum paſſionibus inuenire, Chriſti fideles ſpinoſis virgis, nodoſiſque atque aculeatis cæſos fuiſſe, idem intelligi debeat, ac ſi ibidem ſcriptum eſſet, eos ſcorpionibus fuiſſe verberatos.

De virgis lenibus, vel ſpinoſis. Virgæ igitur (vt ex ſupradictis patet) erant vel lenes, vel ſpinoſæ. Si primi generis; vel ex tenuibus arborum bacillis, aut ex metallo. Si ex arborum bacillis; vel ex vlmo, vel betula, vel quercu, aut fraxino, vel demum ex ſalice. Si verò ex metallo; aut ex ferro, & quandoque ignito, aut ex plumbo. His etiam poſſumus addere ea quæ de virgis leguntur in rebus geſtis ſanctorum Hermilli atque Stratonici deſcriptis à Surio tom. 1. ſunt autem huiuſmodi: *His ità percitus*

De virgis figura triangulari. *Licinius iubet Stratonicum porrectum ſupinum virgis figura triangulari in ventre verberari. & erat quidem hoc graue tormentum, & corporibus humanis minimè tolerandum: anguli enim virgarum, non ſecus ac quidam enſes, carnes vehementer tangebant.* hæc Acta.

Sciendum

Sciendum inſuper eſt, non ſolùm prædictos martyres, Acatium, Alexandrum, Paulum, Cucuphatem, Chriſtophorum, Callinicum, Hermillum, atque Stratonicum lenibus virgis cæſos fuiſſe, ſed quamplures alios etiam, videlicet, Pontianum, Zenonem, Alexandrum quemdam alium, Theodorum, Paulam virginem, Licarionem, Reginam, Tryphonem, Claudium, Aſterium, Hieronem, Ariſtum, & alios vtriuſque ſexus innumeros. Virgis verò nodoſis, atque aculeatis, hoc eſt, ſcorpionibus (quorum fit mentio 3. Reg. 12. & 1. Paralip. 10.) glorioſos Chriſti milites, Baſilidem, Cyrinum, Naborem, Nazarium, Terentianum, Baſſum Epiſcopum, Claudium, Nicoſtratum, Symphorianum, Caſtorium, Simplicium, infinitóſque alios.

> *Pontiani Acta Petrus in ſ. ri lib. 1. c. 102.* *SS. Zenonis, Alexandri, & Theodori Lipom. 7. & Sur 2.* *Paulæ virginis Menolog. 3. Iunij.* *Licarionis idem Menolog. 7. eiuſd.* *Reginæ virg. Petrus lib 8 c. 47.* *Tryphonis Sur. 1.*

Obſeruare præterea debemus; licèt virgis cædere, ignominioſum extiterit apud maiores animaduerſionis genus, ceteris tamen aliis (hoc minimè obſtante) leuius fuiſſe: cuius rei teſtis eſt l. vn. ff. de emendat. ſeruor. & l. 2. de public. curſu. C. Theod. Fuiſſe autem ignominioſum huiuſmodi virgarum ſupplicium, conſtat ex l. Porcia, ac Symphronia, & ex antiquorum auctoritatibus. Lege Ciceronem pro Rabir. atque actiones eius in Verrem, item Ioſephum de bello Iudaico lib. 2. cap. 14. vbi quaſi pro monſtro habetur, Cæſtium Florum Iudæos Romana ciuitate donatos, virgis cæcidiſſe, patibulóque affixiſſe. Vide etiam Actuum Apoſtolorum caput 16. & epiſt. Paul. ad Philip. & Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. de animi moderatione, Aulum Gellium lib. 10. cap. 3. & Sigonium de antiquo iure ciuium Rom. 1. c. 6.

> *SS. Claudij & Aſterij Surius 4.* *Hieronis Sur. 6.* *Ariſti Surius 6. ex Metaphr.* *S. Baſilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarij Petrus lib. 5. c. 109.* *Terentiani Petrus 7. cap. 136.* *SS. Claudij, & ſocior. Surius 6. ex Adone. eſt autem diuerſus hic Claudius ab alio de quo ſuprà fecimus mentionem.*

Poſtremò notari velim, Catholicos ab hæreticis noſtri temporis virgis nonnumquam cædi ſolere. Innuit hoc Sanderus lib. 3. de ſchiſmate Anglicano, dum inquit: *Neque hic ſilentio prætereundum eſt, aliquot etiam plebeios, quòd eccleſias & profana Proteſtantium officia adire noluerant, cùm non haberent vnde mulctam pecuniariam ſoluerent, ſententiâ Iudicis diu ac miſerabiliter per Wintonienſem tractos, ac nudos crudeliter virgis fuiſſe cæſos.* hæc ibi. Modum autem, quo id conficiatur, docet Theatrum crudelitatum hæreticorum noſtri temporis, his verbis: *Catholici curru alligati vicatim flagellantur.*

Digitized by Google

De plumbatis, quibus martyres cædebantur.

ERANT plumbatæ (vt ſanctorum martyrum res geſtæ indicant, & Prudentius, atque quædam picturæ, quæ hîc Romæ inuiſuntur) quoddam flagelli genus ex funiculis aut loris factum, quorum ſummitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo poſtea terga ac collum damnati hominis verberabantur. meminerunt de hoc flagelli genere paſſiones ſanctorum quamplurimæ, & Prudentius hymno B. Romani martyris, ſic ſcribens:

Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumbóque ceruix verberata extuberet:
Perſona quæque competenter plectitur,
Magníque refert, vilis ſit, an nobilis.

Mos verò fuit apud veteres, vt viliores perſonæ tantùm plumbatarum verberibus affligerentur. Innuunt hoc leges: l. ſiquidem 2. de quæſt. C. Theod. huiuſmodi verba habentur: *Plumbatarum verò ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, ſed decem primos tantùm ordinis Curialis ab immanitate huiuſmodi verberum ſegregamus.* & l. 8. de Decur. Cod. Theod. *Omnis ordo Curialis ab ictibus plumbatarum habeantur immunes.* his etiam olim debitores affici conſueuerunt. vide l. 4. & 7. de exaction. Cod. Theod. Viguit verò huiuſmodi ſupplicij genus temporibus etiam Honorij Imperatoris, qui impium hæreſiarcham Iouinianum contuſum primùm plumbo vnà cum ſuis gregalibus damnauit exilio. teſtatur hoc Cod. Theod. l. 54. de hæret. Conſule Notas in Rom. Martyrolog. ad menſem Martij.

Ceterùm quamuis huiuſmodi plumbatarum verbera non eſſent ad inferendam reis hominibus necem; ciuilium ſiquidem legum præſcripto, reum vſque ad mortem cædere vetitum erat; complures tamen inter plumbatarum ictus extremum vitæ ſpiritum edidiſſe reperiuntur. Indicant hoc Ammianus Marcellinus lib. 28. & Ambroſius epiſt. 17. lib. 2. edit. Rom. cùm ait: *Quid reſpondebo poſtea, ſi compertum fuerit, data hinc auctoritate, aliquos Chriſtianorum aut gladio, aut fuſtibus, aut plumbatis necatos?* hæc ille. Atqui Chriſtiani qui ſic vitam pro Chriſto profuderunt, fuerunt hi, Maximus, Papias, Maurus, Seuera virgo Romana, eiúſque fratres Marcus, atque Calen-

Acta Maximi Surius 6. ſub S. Cæcil. nomine. Acta Papiæ & Mauri, nos in hiſt. SS. Virg. Rom. vbi & Acta S. Seueræ & fratrũ eius.

dius; item Geruaſius, Ianuarius, Concordia, Priuatus, Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, Victorinus, aliíque innumeri, quorum nomina breuitatis gratiâ prætermittimus recenſere. Porro de quibuſdam aliis Christi fidelibus legimus etiam plumbatarum ictibus affectis, qui tamen non idcirco ex hac vita migrarunt. fuerunt hi (vt aliquos horum enumeremus) Laurentius, Artemius, Procopius, Abdon, Senen, Gordianus, Eraſmus & Theodorus Epiſcopi.

Geruaſii Petrus lib. 5. c. 126.
Ianuarii Mombr. tom. 1.
Concordia Surius tom. 4. ſub S. Laurentii nomine.
Priuati Petrus lib. 9. cap. 79.
SS. Sineri & ſocior. Surius 6.
Laurentii Surius tom. 4.
Artemii not. cum Actis S. Paulinæ eius filiæ virg. ac mart. Rom.
Procopii Surius 4. ex Metaph.
SS. Abdon & Senen Surius item 4. ſub S. Laurentii inſcriptione.
Gordiani Sur. 3.
Eraſmi vetera manuſcripta.
Theodori Mart. Rom. 4 Non. Iul.

De aliis plumbi vſibus in carnificina ſanctorum martyrum.

PLVMBO quoque vtebantur veteres ad reos excruciandos duobus aliis modis: Quandoque eo liquente ipſos toto corpore nudatos perfundebant; & de hoc cruciatus genere cap. 9. tractabimus. Quandoque verò eo vtebantur non ad cædendum, vel torrendum, ſed ad ſingulas damnatorum hominum compages diſtrahendas, cùm videlicet reis, brachiis reuolutis ſublime appenſis, plumbea pondera deorſum ad eorum pedes vinciebantur. Meminit de his ponderibus plumbeis Ammian. lib. 29. dum ait: *Expediuntur pondera plumbea.* Si tibi libet plura alia de his ponderibus plumbeis ſcire, lege res geſtas ſanctorum martyrum Iuſti à Petro relatas lib. 10. cap. 9. & Mamantis à Metaphraſte apud Surium to. 1.

Quomodo ab antiquis rei cæderentur.

CONSVEVERE veteres, reos cædendos primùm denudare, & poſtea ſupra dorſum eorum, aut ventrem, vel demum ſuper aliquam aliam eorumdem corporis partem virgis, aut aliis flagellorum generibus verberare; quod quidem exequebantur lictores multis modis: nonnumquam enim reos erectis ſtipitibus, aut columnis alligabant, & tum inde cædebant: interdum vel humi, vel ſaltem ſuper acutis obeliſcis terræ defixis vnius pedis magnitudine extendebant: quandoque verò eos ſublime recto corpore appendebant; vel ad humeros ſaltem alicuius, more puerorum, & eorum natibus verbera infligebant: aut demum quatuor palis terræ fixis vi extenſos alligabant, ac poſtea, igne ad acerbiorem cruciatum ſuppoſito, eos immiſericorditer verberabant. At certè ſolitos olim fuiſſe magiſtratus populi Romani lictoribus iu-

Munus lictorum.

Martyres veſtibus denudati cædebantur.

bere, vt reos, de quibus ſumendum erat ſupplicium, denudarent atque ſpoliarent, oſtendunt apertè Acta ferè ſingula ſanctorum martyrum, nominatim Ananiæ relata à Surio to. 5. Eulampiæ ab eodem tom. ſimiliter 5. Secundiani à Mombritio tom. 2. Trophimi à Metaphr. Surij 5. Clementis Ancyrani ab eodem Surij 1. Artemij à prædicto Surio tom. 5. Tryphonis à Surio etiam tom. 5. Domninæ ab eodem ſcriptore tom. 4. ſub ſanctorum Claudij & ſociorum inſcriptione; Barbaræ virginis à codicibus manu exaratis, & à Petro catalogi 1. cap. 25. Hilarij, & Tatiani ab eodem Petro catalog. 3. cap. 203. Apollinaris Epiſcopi à Surio lib. 4. Aquilinæ virginis ab eodem tom. 3. & demum Quirici & Iulittæ à Metaphr. apud Surium tom. 3.

Ampliùs ad hoc confirmandum, & magis magiſque ſtabiliendum, ex veterum monumentis adiici poſſunt multa, quibus oſtenſum pariter erit, Iudices olim, ac magiſtratus populi Romani, vt de reo ſupplicium ſumeretur, & nudari & ſpoliari reum, & virgas inſuper & ſecures expediri, lictoribus iuſſiſſe. Quocirca Liuius lib. 2. de Volerone hæc ait: *Conſules ſpoliari hominem, & virgas expediri iubent. Prouoco, inquit, ad populum, Volero: quoniam Tribuni ciuem Romanum in conſpectu ſuo virgis cædi malunt, quàm ipſi in lecto ſuo à vobis trucidari. Quò ferociùs clamitabat, eò infeſtiùs circumſcindere & ſpoliare lictor.* Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. *Magiſter equitum* (ſcribit) *& victor, ſciſſa veſte, ſpoliatòque corpore, lictorum verberibus laceratus.* Præterea Liuius lib. 9. de Papirio Curſore verba faciens: *Lictorem*, ait, *expedire ſecurim iuſſit. Ad quam vocem exanimi ſtante Præneſtino: Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus.* & Valer. Max. lib. 2. cap. 2. eamdem referens hiſtoriam, *Virgas*, inquit, *expediri, eúmque nudari iuſſit.* Auctor libri de Viris illuſtribus cap. 31. de eodem L. Papirio Curſore: *Idem Præneſte cùm Prætorem grauiſſimè increpuiſſet, Expedi, inquit, lictor ſecures. Et cùm eum metu mortis attonitum vidiſſet, incommodam ambulantibus radicem excidi iuſſit.* Ammianus inſuper Marcellinus lib. 30. de Præneſtino Prætore ſcriptum reliquit: *Qui bello quondam Samnitico properare iuſſus ad præſidium, venerat ſegniùs ad diluendum crimen exhibitum. Papirius Curſor ea tempeſtate Dictator, ſecurim per lictorem expediri; hominéque, abiecta ſe purgandi licentia, ſtupefacto, viſum propè fruticem iuſſit abſcindi.* ad hæc Liuius lib.

8. *Tunc Papyrius*, ait, *redintegrata ira, ſpoliari Magiſtrum equitum, ac virgas & ſecures expediri iuſſit.* & Cicero actione in Verrem 7. *Sic repentè hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet.* Ex his igitur iam dilucidè apparet, cæſos fuiſſe reos à lictoribus veſtibus prorſus denudatos.

Iam verò fuiſſe SS. martyres verberibus laceratos ſupra dorſum, vel ſupra ventrem, vel ſuper vtrumque, aut aliquam aliam corporis partem, dilucidè oſtendunt Acta ſanctorum martyrum Clementis Ancyrani, & Ananiæ, quorum ſuprà fecimus mentionem; præterea Claudij & ſociorum deſcripta à Surio tom. 3. Acatij ab eodem tom. pariter 3. Probi à Petro catalogi lib. 9. cap. 51. ſub B. Tharaci martyris inſcriptione, Gregorij inſuper, & Marini ab eodem auctore, huius lib. 2. cap. 6. & S. Gregorij lib. 1. cap. 88.

Martyres ſuper diuerſas corporis partes cædebantur.

Quòd autem Chriſtiani à Gentilibus olim palis aut columnis vincti, humi, vel ſuper acutis obeliſcis terræ fixis extenſi, vel ſaltem ad quatuor ſtipites vi (vt dicitur) alligati, à lictoribus cæderentur, ex multis locis cognoſci poteſt; nempe ex quamplurimis ſanctorum martyrum Actis, vt Pauli, & Iulianæ à Surio relatis tom. 4. Torpetis à Petro lib. 5. cap. 8. & à Mombr. lib. 2. Eulampij & Eulampiæ fratrum, Clementis Ancyrani, ac Domnuinæ, atque Apollinaris, quorum paulò ſuperiùs meminimus; item Tertulli, aliàs Tertullini preſbyteri, à Surio tom. 4. ſub S. Stephani Papæ nomine, Marinæ à Metaphr. Surij 4. Leontij & Theodoli à prædicto Surio to. 3. Tryphonis à Surio etiam tom. 1. Nicetæ à Petro lib. 8. cap. 70. Athenogenis & Platonis à Metaphr. Surij 4. Alexandri à Surio tom. 3. Andronici à Petro lib. 9. cap. 51. Acatij à prænotato Surio tom. prædicto; Theogonis à Petro lib. 2. cap. 41. Anaſtaſiæ maioris à nobis in noſtra ſanctarum virginum Romanarum hiſtoria, Theonillæ à Surio tom. 3. Mercurij à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Metaphr. Surij 6. & demum Barbari militis ac martyris à Petro lib. 4. cap. 170. Legantur quæ cap. 1. de ſtipitibus, columnis, atque arboribus, ſcriptis mandauimus.

Martyres columnis & palis vincti, vel humi aut ſuper acutis obeliſcis extenſi, vel ad quatuor ſtipites alligati cædebantur.

At fuiſſe ſanctos martyres (quod probandum reſtabat) puerorum more cæſos, cognoſci poteſt ex Prudentij hymno in ſanctum Romanum; vbi Aſclepiades de Barula puero, quem inuitus Chriſto martyrem conſecraturus erat, ſic imperat:

------ puſionem præcipit
Sublime tollant, & manu pulſent nates.
Mox & remota veſte, virgis verberent,
Tenerúmque duris ictibus tergum ſecent,
Plus vnde lactis quàm cruoris defluat.

De cathomo.

Quibus profectò monemur, idem prorſus eſſe dicere, Martyr cathomo cædatur, &, puerorum more (ſicuti à ludimagiſtris infantes verberari ſolent) vapulet. Namque vbi Prudentius ex Tyranni perſona cecinit:

Sublime tollant, & manu pulſent nates.

Petrus lib. 10. cap. 75. eiuſdem Sancti res geſtas referens, ita litteris conſcriptum reliquit: *Præfectus puerum teneri fecit, & cathomo cædi.*

15. Iunii editionis Plantinianæ.

Ampliùs ad hanc item vocem declarandam valde conducunt, quæ in notis ad Romanum Martyrologium in medium adducuntur, quæ ſtudioſus ac diligens lector videre poterit.

Cathomo non tantùm infantes cædebantur.

Verùm non ſolùm pueri, vt Vitus, & Barula, quòd pueri eſſent, puerorum more cæſi leguntur; ſed & alij etiam vtriuſque ſexus prouectioris ætatis: quod quidem maioris ignominiæ irrogandæ causâ factum cenſetur. Sic Thomas ſanctiſſimus Epiſcopus apud Victorem de bello Wandalico lib. 1. verberatus inuenitur, & Afra in eius paſſione apud Marcum Velſerum doctiſſimum virum, qui eam ex antiquis exemplaribus recognouit, emendauit, auxit, notiſque accuratiſſimis illuſtrauit.

Si dicas huic ſententiæ obſtare, quia martyres nequaquam cathomæ, aut cathomi cæſi narrantur, quod conueniens fuiſſet, ſi nomen à corporis poſitu deſumeretur; ſed cathomo, aut cathomis: ſignum ergo euidens eſſe, verberandi inſtrumentum hac voce exprimi, eadem prorſus ratione, quâ gladius, pugni, lora, virgæ inſtrumentum cædendi denotant, cùm aliquem gladio, pugnis, loris, virgis cæſum dicimus. Quibus omnibus, pace dicam viri magni & docti, qui aliter de cathomo ſenſit, reſpondere poſſumus, eo ſenſu accipiendum eſſe cathomo cædi, quo antiqui ſcriptores deſumpſere; hi autem quomodo deſumpſerint, declaratur optimè in Notis ad Rom. Martyrologium, & nos iam abundè ſuprà, vt non opus ſit ampliùs repetere, tam ex Prudentij hymno de S. Romano, quàm ex actis eiuſdem à Petro recitatis oſtendimus. Deinde in martyrum rebus geſtis ſæ-

Digitized by Google

piſſime legimus modos, quibus excruciabantur, in ſexto caſu, vt capite plectatur, appendatur pede, brachio, pollicibus manuum, &c. quocirca idem fuit dicere, Martyr cathomo cædatur, ac, Ad humeros alicuius appendatur, & eius natibus verbera infligantur. Poſſet fortaſſis etiam dici, Cædatur cathomo, id eſt, ſitu cathomo. Et de his ſatis.

De miniſtris, ad quos priſcis temporibus reos cædere pertinebat.

MINISTRI, qui reos magiſtratuum iuſſu cædere ſolebant, lictores vocabantur: erant hi Conſulis, Proconſulis, & ſimilium miniſtri: Conſulis, & Proconſulis, duodeni erant, aliorum ſeni, vno dumtaxat excepto Vrbano Prætore, cuius bini erant. Præibant ſinguli magiſtratus, portantes virgarum faſciculos cum ſecuribus ligatos, vt quoties iuſſi eſſent, eos ſoluentes, virgis primùm damnatum cæderent, ac deinde ſecuri ferirent. Spectabat ergo ad hos (vt patet ex his quæ ſuprà diximus) vincire, cædere, ac ſecuri reos percutere. poſſumus etiam hoc idem confirmare aliis teſtimoniis antiquorum, Ciceronis primum, actione, ni fallor, 7. in Verrem, vbi ait: *Sex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos verberandóſque homines exercitatiſſimi.* Item Liuij lib. 8. dicentis: *Lictor deliga ad palum.* Idem omnino probat triſte illud carmen, quo lictori de perduelle ſupplicium more maiorum ſumere præcipiebatur. Id erat huiuſmodi: *I, lictor, colliga manus: caput obnubito: infelici arbori ſuſpendito.* Quamobrem Liuius lib. 1. *Duumuiri*, ait, *cùm condemnaſſent; tum alter ex his, P. Horati, tibi perduellionem indico, inquit. Lictor, colliga manus.* & mox: *Hunccine, aiebat, quem modo decoratum, ouantémque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I, lictor, colliga manus, quæ paulò antè armatæ Imperium Populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris vrbis huius: arbori infelici ſuſpende: verbera vel intra pomœrium, modò inter illa pila, & ſpolia hoſtium; vel extra pomœrium, modò inter ſepulcra Curiatiorum.* hoc idem Cicero oratione pro Rabir. perduel. reo comprobat. *Namque,* inquiens, *hæc tua quæ te hominem clementem, popularémque delectant: I, lictor, colliga manus, quæ non modò huius libertatis, man-*

De lictoribus.

Lictores cur portarent faſces cum ſecuribus.

Digitized by Google

ſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij; ſed Tarquinij ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentiſſimè commemoras, Caput obnubito, Infelici arbori ſuſpendito. Quæ verba, Quirites, iampridem in hac Republica, non ſolùm tenebris vetuſtatis, verùm etiam luce libertatis oppreſſa ſunt. Liuius lib. 26. *Id ita eſſe ratus*, ait, *acceptas litteras, neque reſolutas, cùm in gremio poſuiſſet, præconi imperauit, vt lictores lege agere iuberet.* & paulò pòſt pronunciaſſe refert: *Lictor viro forti adde virgas, & in eum primùm lege age.*

Ad hæc quæ diximus, referri queunt, quæ de lictoribus notauit Aulus Gellius lib. 12. cap. 3. *Inſuper alia etiam erant lictorum munera; ad ipſos etenim non ſolùm ſpectabat vincire reos, cædere, atque ſecuri percutere, ſed etiam ſuſpendere; vnde erant illa verba: I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Præter hæc ad eoſdem quoque pertinebat populum ſubmouere; loquentibúſque diutiùs quàm oporteret, ſilentium aliquando imponere; & tandem, vel reos ſuffocare, vt Plutarchus in Ciceronis vita oſtendit, ita de Lentulo loquens: *Primum à Palatio Conſul Lentulum ſumit, cùmque per viam ſacram mediúmque forum adducit. Forum egreſſus Conſul, cùm ad carcerem ventum eſſet, tradit lictori Lentulum, eúmque ſtrangulari iuſſit.* hactenus ille. Lictorum etiam partes erant, domos, (vt 2. tom. Annal. Eccleſiaſticorum legitur) in iudicium vocandorum adire, foréſque earum virga percutere. confirmant hæc eruditiſſimi viri Briſſonius lib. 2. de formulis, & lib. 8. & Sigonius de antiquo iure ciuium Romanorum 2. cap. 15. & lib. 2. de antiquo iure prouinc. c. 5. Ac de lictoribus hactenus.

Acta Torpetis & Marcellini Petrus lib. 5
Epipodij Petrus 4. cap. 8
Aquilinæ Sur. 3.
Tatianæ nos item loco eod.
Soteris nos in hiſt. noſtra SS. Virg. Rom.
Felicitatis Sur. 3.
Eleuſippi & ſociorum Petrus lib. 2. c. p. 93
Symphoroſæ Mombrit. tom. 2.

De quibuſdam aliis modis, quibus martyres à Gentibus percuti ſolebant.

ALAPIS nonnumquam, colaphis, pugnis, ac calcibus cædebantur ſancti Chriſti martyres; lapidibus inſuper vel eorum ora contundebantur maxillæque confringebantur, vel iiſdem obruebantur. & ſic interibant. Pugnis, alapis, & calcibus percuſſi fuerunt glorioſiſſimi fidei noſtræ præcones, Torpes, Marcellinus preſbyter, Epipodius, Aquilina, Tatiana. Soteris, Felicitas, Speuſippus, Eleuſippus, Meleuſippus, Symphoroſa, & Pothenus, aliàs Pothinus Epiſcopus,

de

de quo ab Euſebio hiſtor. 5. cap. 1. hæc verba narrantur: *Beatus item Pothenus, cui Lugdunenſis Epiſcopatûs miniſterium erat concreditum, cùm nonageſimum ſuæ ætatis annum præteriiſſet, & corporis imbecillitate ita langueſceret, vt vix poſſet propter virium infirmitatem, quâ diſtinebatur, liberè ſpirare; ſpiritus tamen alacritate propter ardentem, quâ flagrabat martyrij cupiditatem, plurimùm recreatus, ad tribunal geſtabatur; & tametſi corpus eius iam præ decrepita ætate, & cruciatu morbi pene exhauſtum eſſet, anima tamen in ipſo ſeruabatur integra, vt per eam Chriſtus glorioſè triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magiſtratibus ciuitatis eum comitantibus, & vniuerſa multitudine varias cuiuſque modi vociferationes contra illum, vtpote Chriſtianum, edente, à militibus deductus præclarum fidei teſtimonium perhibuit. Cùm enim à Præſide rogaretur, quis eſſet Chriſtianorum Deus? reſpondit: Si tu ea re dignus ſis, cognoſces. Inde igitur aſperè & immiſericorditer raptatus, varias plagas excepit, cùm ab his, qui ſtabant in proximo, qui nihil eius ætatem reuerentes, manibus pedibúſque in illum contumelioſè inſultabant; tum ab illis, qui longiùs erant remoti, qui, quod ſinguli habebant in manibus, illud in illum coniecerunt: ídque propterea, quòd omnes permagnæ culpæ & impietatis loco ducebant, ſi quiſque petulanter illum inſectari vlla ex parte omitteret: nam deorum ſuorum cauſam ita ſe vindicaturos arbitrabantur. Ille vix iam ſpiritum ducens, in carcerem coniectus fuit, ac biduò pòſt efflauit animam.* hæc Euſebius de Potheno. Simili etiam mortis genere deceſſit è vita Fabius martyr, de quo Surius ſcribit tom. 3. acta S. Antimi preſbyteri referens.

De colaphis, alapis, & palmis.

CREDVNTVR tria hæc vocabula à quibuſdam ſynonyma, colaphus etenim Græcè, alapa Latinè dicitur. atqui id non ſemper verum eſſe, certa, apertáque teſtimonia docent. Matth. cap. 26. *Tunc exſpuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt.* Marc. 14. *Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & miniſtri alapis eum cædebant.* Ioan. 18. *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu.* Iuuencus preſbyter lib. 4.

Colaphus, alapa, & palmæ an ſint ſynonyma.

FIGVRA QVINTA A.

Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmæ in malis colaphique in vertice crebri
Inſultant.

Sedulius lib. 5.

Sacrilegas mouiſſe manus non denique paſſim,
Vel colaphis pulſare caput, vel cædere palmis,
Aut ſpuere in faciem plebs execranda quieuit.
Ille tamen patiens ſubiecto corpore totum
Suſtinuit, noſtraque dedit ſua membra ſaluti.
Namque per hos colaphos caput eſt ſanabile noſtrum:
Hæc ſputa per Dominum noſtram lauere figuram:
His alapis nobis libertas maxima plauſit.

Martialis lib. 5. epigr. 62.

O quàm dignus eras alapis, Mariane, Latini.

Alapa in quo differat à colapho.

Ex his apertiſſimè apparet, vt alapam pro percuſſione, quæ palmâ, hoc eſt, manu dilatatâ, infligitur, ſic colaphum pro pugno accipi. Confirmat hoc idem Terentius, qui Adelph. act. 2. ſcen. 1. cùm dixiſſet:

Ne mora ſit, ſi innuerent, quin pugnus continuò in mala hæreat.

non multò pòſt adiecit:

Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.

& ſcen. 11.

Omnes dentes labefecit mihi.
Præterea colaphis tuber eſt totum caput.

Pugnus & palma quid ſint, optimè explicat Cicero lib. qui Orator inſcribitur: *Zeno*, ait, *cùm digitos compreſſerat, pugnúmque fecerat, Dialecticam dicebat eiuſmodi; cùm diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat.* & lib. 2. de finib. Rhetoricam palmæ, Dialecticam verò pugno ſimilem eſſe affirmabat, quòd latiùs loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſiùs. Pugnus igitur, ſiue colaphus compreſſa manu, alapa dilatatâ incutitur. Iam verò ſi alia cupis ſcire de hoc pœnæ atque ignominiæ genere; quo feminæ potiſſimùm pro Chriſtiana fide afficiebantur, lege Gellium lib. 20. cap. 1.

De martyribus, quorum vel facies lapidibus cæſæ fuerunt, vel ora contuſa, vel demum maxillæ confractæ.

FIGVRA QVINTA C. *Acta SS. Papiæ & Mauri, nos in hiſt. noſtra SS. Virg. Rom.*

CHRISTIANI, qui prænotato martyrij genere affecti fuere, ſunt hi, Papias, Maurus, Theodoſia, Felix preſbyter, Apollinaris Epiſcopus, Gracilianus, Feliciſſima virgo, Hippolytus, Polycronius, & milites quadraginta, de quibus

Rom. in Martyrologio 7. Id. Martij hæc referuntur: *Apud Sebaſten Armeniæ natalis ſanctorum quadraginta militum Cappadocum, qui tempore Licinij Imperatoris ſub Præſide Agricolao poſt vincula & carceres teterrimos, poſt cæſas lapidibus facies, in rigentem ſtagnum miſſi ſunt, vbi gelu conſtricta eorum corpora diſrumpebantur, ac demum crurifragio martyrium conſummarunt. Erant autem inter eos nobiliores Cyrion, & Candidus: quorum omnium præclaras glorias S. Baſilius aliique Patres ſcriptis ſuis celebrarunt.* hucuſque Martyrologium Romanum. Scribit Polybius, ſupplicia militaria recenſens, milites antiquis temporibus non fuſtibus solùm cæſos fuiſſe, ſed etiam lapidibus contuſos: de ceteris autem eorumdem pœnis notauimus iam ſuprà, dum de fuſtibus peregimus.

Theodoſia Sur. to. 3. ex M. t. ſub S. Procopij nomine. Felicis Sur. 4. Apollinaris idem ib. ead. Graciliani, & Feliciſſimæ Martyrolog. Rom. prid. Id. Auguſti. Hippolyti Sur. 4. Polycronij ibid. ſub S. Laurentij titulo, & à Rom. Martyrolog. 13. Kal. Martij.

De martyribus, qui lapidibus obruti, vitam cum morte commutarunt.

LAPIDIBVS appetiti fuere clariſſimi viri Stephanus, Demetrius, ac ſocij, Cyriacus, Tranquillinus, Siſinnius, Diocletius, Florentius, præter hos glorioſiſſima Emerentiana, & Paula virgines, atque Mamelta.

FIGVRA QVINTA B.

Stephani Act. ib. Act. Apoſt. cap. 7. Demetrij Men. VII. Id. Auguſti. Cyriaci & Paulæ virg. Petrus lib. 5. cap. 125. Tranquillini Sur. tom. 1. ſub ſancti Sebaſtiani tit. Siſinnij, Diocletij, & Florentij Sur. tom. 3. ſub B. Antimi presbyteri inſcriptione. Emerentiana, nos in hiſt. noſtra SS. Virg. Rom. Mamelta Men. III. Non. Octob.

De ingentibus ſaxis, quibus Chriſtiani opprimebantur, & excruciabantur.

LAPIDIBVS etiam magnis Chriſti Domini noſtri ſerui aliis modis excruciabantur: legimus enim nonnumquam eos ingentibus ſaxis oppreſſos fuiſſe. in Actis quippe B. Theopompi martyris à Petro relatis catalog. 5. cap. 33. hæc leguntur: *Eductus hic ſanctus vir è carcere, & in terram ſupinus extenſus, atque ad ſtipites ligatus, lapis magnus vix ab octo viris portatus ventri eius ſuperponitur: ſed eleuatus lapis à ſeipſo diuina virtute* &c. Et in Actis S. Victoris martyris ab eodem auctore lib. 6. cap. 122. hæc litteris conſignata comperiuntur: *Poſt triduum eductus è carcere, ſtatuam Iouis ſibi oblatam, vt ei thura incenderet, pede euertit: cui pes ille ſtatim præſcinditur; deinde mola molendini ſuppoſitus crudeliter conteritur; verùm poſt paululùm machina ipſa diſſipata, dum adhuc martyr Domini aliquantulùm palpitaret*, & quæ ſequuntur. Et in rebus geſtis ſanctiſſimi viri Artemij martyris à Metaphr. deſcriptis Surij tom. 5. in quibus

FIGVRA QVINTA D.

Digitized by Google

huiuſmodi verba narrantur: *Hæc cùm audiſſet Iulianus, & eſſet animus eius repletus irâ, accerſit lapicidas, & dixit eis: Videtis hanc petram? (oſtendens quamdam præruptam ex aduerſo theatri) eam in duas partes diuidite: & cùm alteram partem ſupinam in terris deieceritis, deſuper eam maleficum hunc extendite, alteráque parte cum impetu ipſum cooperite; vt is medius interceptus, ſimul carnes habeat & oſſa corrupta; & factis ipſis diſcat, cuinam reſiſtat, & an Dei ſui fruatur auxilio. Eo autem facto dicto citiùs, & ſancto in mediis petris intercepto, tanta erat vis, quæ eum premebat, vt cùm eius oſſa confringerentur, quidam ſonus & fragor à multis exaudiretur. Diſrupta enim ſunt omnia, quæ erant intra ipſum, & contritæ ſunt omnes compages eius oſsium, & oculi exceſſerunt è ſede propria. ſed quamuis eſſet ad hanc adductus neceſsitatem, non neglexit tamen ad Deum canere: pſallebat enim in petra, dicens: Exaltaſti me, & deduxiſti me, quoniam factus es ſpes mea, turris virtutis à facie inimici: ſtatuiſti ſupra petram pedes meos, & direxiſti greſſus meos. Accipe ergo, Fili Dei vnigenite, ſpiritum meum, & ne concludas me in manus inimicorum. Sic ergo cùm in medio petrarum totum diem & noctem manſiſſet martyr; iuſsit ſceleratus Iulianus disiungi petras, eum penitus interiiſſe, & nullam ſpiritus partem eſſe ei relictam præ illo nimio onere arbitrans. Ille autem amotus à petris, egreſſus eſt, incedens, & ſuis vtens pedibus, reuerà miraculum maximè admirandum. Homo nudus, cui egreſſi quidem erant oculi, oſſa contrita, membra & carnes petrarum complicatione compreſſa, eius autem inteſtina omnia miſerè effluxerant, is (ô nouum & alienum ſpectaculum!) ambulabat, & diſſerebat, & loquebatur aduerſùs Tyrannum. Vnde is quoque ſtupore afficiebatur,* &c. hucuſque Acta. De martyribus inſuper ſaxis magni ponderis vitâ priuatis ſcribit Metaphr. in rebus geſtis S. Ioſephi apud Surium tom. 2. his verbis: *Cum autem ſanctum paulò longiùs dimouiſſent, & manus ponè vinxiſſent, foſſam ei fodiunt, & eum ad lumbos vſque demiſſum infodiunt. Deinde comprehenſos circumſiſtunt Chriſtianos; & pulſantes iubent eos virum inclytum* S. Iſdandul. *appetere lapidibus. Cum quibus ſacroſanctam quoque Iſdandul, vt ſimilia faceret vrgentibus, dixit illa: Nihil vmquam à ſæculo tale auditum fuit, vt cogatur fœmina extendere manum aduersùs viros ſanctos, quomodo vos nunc facitis: qui aduerſùs inimicos quidem non decertatis, in nos autem arma tollitis; & patriam, quæ degit in pace, ſanguine & cæde impletis. Illi verò obeliſco longæ arundini alligato, eo Sanctum pungere imperabant. Illa autem: Abſit, inquit,*


Stimulis etiam affligebantur S. martyres Vide quæ cap 9. ſunt à nobis notata.

vt ego id faciam; nam ego id priùs cordi meo libenter affixero, quàm per ipſum ſanctum corpus vel minimè attingam. Sic illa quidem virilem oſtendens conſtantiam, conſpecta eſt potentior, quàm cogitarant parricidæ. Sanctum autem tam crebris lapidum niuibus obruerunt, vt cerneretur ſolum caput, reliquo corpore lapidum congerie obruto. Quod quidem caput cùm quidam ex impiis vidiſſet adhuc moueri, iubet vni ex lictoribus, vt accepto lapide, quantum poterat manus capere, in id deſuper immitteret. Quod quidem cùm factum eſſet, & pondere lapidis caput eſſet contritum, beatus Chriſto tradit pretioſam animam. hucuſque Acta. Iam verò reliquum eſt, vt poſtquam ſanctorum martyrum cruciatus, de quibus hoc quarto capite egimus, formis expreſſerimus, quintum caput feliciter aggrediamur.

FIGVRA I.

A Faſces conſulares.
B Scorpiones.
C Flagra.
D Lora.
E Fuſtes.
F Plumbatæ.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA II.

A Martyr loris quatuor violenter diſtractus.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA III.

A Martyres palo alligati, & fuſtibus cæſi.

Digitized by Google



Digitized by Google


FIGVRA IV.

A Martyr quatuor palis alligatus, & fuſtibus cæſus.

B Martyr nudus ferreis cuſpidibus impoſitus, & fuſte violenter cæſus.

C Martyr manibus pedibúſque ligatis fuſte pariter cæſus.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA V.

A Martyr alapis, calcibus & pugnis cæſus.
B Martyr lapidibus contuſus.
C Martyr cuius os & maxilla lapide confringuntur.
D Martyr prægrandi ſaxo oppreſſus.

Digitized by Google


B
A
C
D

CAPVT V.

De inſtrumentis, quibus Chriſti fidelium carnes Gentes diſcerpebant, nempe de vngulis, vncis, & pectinibus ferreis.

TRIBVS diſtinctis inſtrumentis dæmonum cultui dediti (ſicuti quamplurima martyrùm Acta teſtantur) Chriſtianos excarnificabant, vngulis nimirum, vncis, & pectinibus ferreis. Primi generis horum mentionem faciunt Tertullianus multis in locis, & præcipuè lib. aduersùs Gnoſticos cap. 1. his verbis: *Alios ignis, alios gladius, alios beſtiæ Chriſtianos probauerunt; alij fuſtibus interim, & vngulis inſuper deguſtata martyria.* & in Apologet. aduersùs Gentes cap. 12. *Crucibus & ſtipitibus imponitis Chriſtianos. Quod ſimulacrum non priùs argilla deformat, cruci & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo primùm corpus Dei veſtri dedicatur, vngulis deraditis latera Chriſtianorum.* & cap. 30. *Vngulæ fodiant, cruces ſuſpendant,* & quæ ſequuntur. Cyprianus ad Donatum epiſt. 2. *Haſta,* inquit, *& gladius, & carnifex præſto eſt, vngula effodiens.* & ſermone de lapſis: *Nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet.* Gregorius Nyſſenus in B. Gregorij Thaumaturgi vita, *Ligna,* ait, *erant erecta, in quibus eorum extenſa, qui perſiſtebant, corpora, horrendis laniabantur vngulis.* S. Auguſtinus epiſt. 158. *Quando habet tantorum ſcelerum confeſſionem, non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis.* & B. Hieronymus epiſt. ad Innoc. 49. *Cùm liuidas,* inquit, *carnes vngula cruenta pulſaret, & ſulcatis lateribus, dolor quæreret veritatem.* & paulò inferiùs: *Vtrumque latus* (adiecit) *carnifex fodit.* ſcilicet vngulis. Prudentius in Romano:

Coſtas biſulcis execandas vngulis. paulò pòſt:
Quàm ſi cruenta membra carpant vngulæ. & periſteph. 1.
Ille virgas, ſecures, & biſulcas vngulas. & 5.
Tormenta, carcer, vngulæ.

Erant vngulæ (ſicut indicat illa, quæ in hunc vſque diem in baſilica Vaticana inter Sanctorum reliquias aſſeruatur, à nobis licèt indignis viſa, &, vt par erat, venerata, & oſculata) genus

Digitized by Google

genus quoddam forcipis ferreæ fabricatæ eo modo, quo iam explicaturi ſumus.

Coniungebantur primùm duo ſimul ferri fruſta oblonga aliquantulùm, eo prorſus modo, quo illa forcipis ferreæ fabrorum connecti copularíque ſolent: quorum extremæ partes rotundæ erant, & prope earumdem finem paululùm excauatæ; quod idcirco fiebat, vt haſtulæ aliquæ in ipſis includi atque affigi poſſent, ad maiorem commoditatem carnificum reos aut SS. martyres in equuleo poſitos, vel ſtipitibus affixos, vel ſublime appenſos diſcerpentium. Oſtendit id fragmentum quoddam haſtulæ ſemicombuſtum pariter rotundum, quod ibidem fixum cernitur. In partibus verò ſuperioribus, à coniunctione nimirum amborum fruſtorum ferri incipiendo, vnius palmi erant longitudinis, duorum digitorum latitudinis, exiguæque craſſitudinis; ſubtiles ſiquidem ac exiles conſtruebantur. Porro his ferrei ſex mucrones affigebantur, terni in ſingulis, hoc ordine ſeruato, vt in alterius illarum medietate duo mucrones eius fermè ſuperficiei fixi eſſent, in medietate verò alterius vnus tantummodo aduersùs duos; qui, ſi contingebat forcipes conſtringi, quia in fruſti medio affixus erat, duobus prioribus aculeis quodammodo obuiam fiebat, atque occurſabat, per eos quaſi ſeipſum traiiciendo. Ampliùs in iiſdem etiam partibus alij totidem mucrones in earum (vt ita dicam) capitibus inerant, aculeorum ordine dumtaxat immutato. Vnde eueniebat, vt carnes illorum, quibus admouerentur, mucronibus illis & fodicarentur, & ſulcarentur. Quocirca mirandum nulla ratione erit, ſi ex ſuprà citatis auctoribus aliqui de vngulis loquentes, illas dixerint biſulcas, illíſque tamquam earum proprium attribuerint ſulcos carnibus damnatorum imprimere.

Hoc martyrij inſtrumento innumeri Chriſti milites excarnificati fuerunt, nominatim Papus, Petrus, Clemens Ancyranus, Theophilus, Theodorus, Mauritius, & ſocij, Iuſta, Rufina, Felix, Marinus, Hilarus, Eulalia Barcinonenſis, Neſtor, Epimachus, Valerianus, Maria, Eraſmus, Callinicus, & Pelagius.

Acta S. Papi Menolog. 17. Kalend. April.
Petri Sur. t.
Clementis idem lib. prædicto, vbi etiam S. Theodori Acta deſcribit.
SS. Mauritij, & ſociorum. Sur. etiã tom. 4.
Iuſtæ, & Rufinæ idem tom. 4.
Felicis Sur. item tom. eodem.
Marini Petrus lib. 2. cap. 6.
Hilari Petrus vbi ſuprà.
Eulaliæ nos in hiſt. SS. virg. extern.
Neſtoris Sur. to. 1.
Epimachi idem tom. 5.
Valeriani Petrus lib. 8. c. 33.
Mariæ idem lib. 10. c. 4.
Eraſmi vetera manuſcr. & Petr. lib. 5. c. 71.
Callinici Sur. to. 4.
Pelagij Petrus lib. 7. c. 120.

An forcipes, quæ in baſilica S. Petri aſſeruantur, ſint ſcorpiones, vel vngulæ.

OPINATI ſunt nonnulli, genus illud forcipis ferreæ, quod in baſilica Vaticana inter Sanctorum reliquias aſſeruari paulò ſuperiùs oſtendimus, non vngulas, ſed ſcorpiones fuiſſe: at ſi verum nos fateri oporteat, dicimus ſic ſentientes toto cælo aberrare: quî enim fieri poteſt, vt forcipes illas ſcorpiones credamus, & non vngulas, cùm (veluti cap. præcedenti oſtendimus) virgarum nomine illi comprehenderentur; hæ autem forcipis ferreæ dentatæ? Ad hæc, illi (vt Acta martyrum, & prænotata ſacræ Scripturæ loca innuunt) erant antiquis vſui ad reos ſolùm cædendos, hæ ad eoſdem excarnificandos, & diſcerpendos. Confirmatur hoc idem; nam conſideranti prædictæ forcipis qualitatem conditionémque, ſtatim apparebit non fuiſſe eam ad damnatos homines verberandos fabricatam, ſed ad diſcruciandos dumtaxat: etenim carnifici rei cædendi ſtudio eam habenti præ manibus, ad hoc exequendum, opus illi erat, vt ambo ferri fruſta ſimul conſtringeret: ex quo factum fuiſſet, vt ipſi mucrones, quia ſic noxium excruciare non potuiſſent, fruſtra ibidem ac ſine cauſa immiſſi, firmatique eſſent. His adiungimus etiam, vngularum proprium extitiſſe (veluti B. Auguſtinus atque Prudentius ſcriptis mandarunt) carnes delinquentium diſcerpere, & diſcerpendo ſulcare. At quis iam non videat forcipem illam in S. Petri Eccleſia aſſeruatam hoc facere optimè potuiſſe? vngularum igitur genus erat, & non cuiuſlibet alterius inſtrumenti.

De diuerſis forcipibus ferreis martyrij inſtrumentis.

QVONIAM ſuprà repoſuimus vngulas in numero forcipis ferreæ; idcirco in præſentia declarandum nobis reſtat, quotnam illæ fuerint, quæ in ſanctorum martyrum carnificinis adhiberentur: multiplicis ſiquidem generis fuiſſe comperimus. Aliquæ erant dentatæ, quæ ſex ferreis aculeis cutem martyris perforabant cùm ſtringerentur; quæ crudeliter nimis membra carpentes, vellebant, vt hæ, de quibus hoc loco agimus. Aliæ ad comprimendum & contorquendum

compoſitæ; & harum meminit Syneſius Epiſcopus epiſt. 58. cum de Andronici Præſidis immanitate pertractat, aitque: *Niſi forcipe auribus apprehendendis, & labiis obtorquendis parato inſtrumento.* Aliæ rurſus ad incidendum; & harum Romano in Martyrologio 6. Kal. Iulij mentio habetur his verbis: *Corduba in Hiſpania natalis S. Pelagij adoleſcentuli, qui ob confeſſionem fidei iuſſu Abdarameni Saracenorum Regis forcipibus ferreis membratim præciſus, martyrium ſuum glorioſè conſummauit.*

Ad hæc martyrij inſtrumenta reduci poſſunt forcipes illæ, quibus vtriuſque ſexus Chriſtiani, potiſſimùm verò feminæ à miniſtris dæmonum ignominiæ causâ tondebantur. Vide cap. 10. Actuum Ioannis Apoſtoli à Procoro deſcriptorum, & res geſtas S. Fauſtæ virginis à Metaph. apud Lipom. 5. & Surium 1. item à Mombritio tom. ſimiliter 1. & à Petro catalog. 8. cap. 97. & denique ſanctæ Charitinæ virginis Acta à Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Seruantur in hunc diem forcipes, quibus B. Ioannes Euangeliſta attonſus fuit, in ſacroſancta baſilica Lateranenſi, viſu & veneratione digniſſimæ. Forcipes, quibus S. Ioannes attonſus fuit, aſſeruantur in baſilica S. Ioan. in Lateran.

Modi quibus martyres vngulis extruciabantur.

VARIIS modis excarnificabantur Chriſtiani vngulis; quandoque equuleo, vel palis, aut columnis alligati; quandoque verò ſublime appenſi, capite etiam nonnumquam ad terram verſo. FIGVRA SECVNDA A.

De primo alteróque horum fidem faciunt Acta Neſtoris, Marini, Theophili, Hilari, Iuſtæ, & Rufinæ ſuprà citata, & Ianuarij, atque Pelagij à Petro deſcripta lib. 6. cap. 85. item Gregorij Thaumaturgi à B. Gregorio Nazianzeno loco ſuperiùs notato, & ſanctorum Mauritij & ſociorum à Surio tom. 4. Idem quoque indicant quæ de ſtipitibus cap. 1. tractauimus.

Poſtremi demum modi teſtimonium dant res geſtæ ſanctorum Epimachi, & Felicis, & aliorum ſuprà notatorum. Si alia cupis de vngulis, lege quæ cap. 3. de fidiculis diximus.

De vncis martyrij inſtrumentis.

MEMINIT de vncis Cicero Philipp. 1. dum ait: *Vncus impactus eſt fugitiuo illi.* & orat. pro C. Rabirio: *Nos à verberi-*

bus, ab vnco, à crucis denique terrore neque res geſta, neque acta ætas, neque noſtri honores vindicabant. Iuuenal. ſat. 10. his verbis:

----- Seianus ducitur vnco.

Sidonius Apollin. lib. 1. epiſt. 7. in fine: *Vncum*, inquit, *& Gemonias, & laqueum per horas turbulenti carnificis perhorreſcens.* Horatius lib. 1. ode 35. ad Fortunam, dum ſic cecinit:

Te ſemper anteit ſæua neceſsitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeuerus
Vncus abeſt, liquidúmque plumbum.

Inſuper de eodem Seneca lib 3. de ira cap. 3. *Cadauera quoque trahens vncus.* Suetonius in Tiberio cap. 53. *Cùm ei carnifex, quaſi ex Senatus auctoritate, laqueos & vncos oſtentaret.* Lampridius in Commodo, acclamatum habet in Commodum, ipſo mortuo: *Qui Senatum occidit, vnco trahatur: Qui omnes occidit, vnco trahatur: Qui templa ſpoliauit, vnco trahatur,* & quæ ſequuntur: ſæpiſſime namque ibi de vnco fit mentio. Item Suetonius de Vitellio ſcribens ait: *Tandem apud Gemonias minutiſsimis ictibus excarnificatus, & confectus eſt, & inde vnco tractus in Tiberim.* præterea de eodem etiam Ammian. Marcellinus lib. 7. his verbis: *Intendebantur equulei, vncóſque parabat carnifex.* & lib. 26. *vnci & cruenta quæſtiones.* Prudentius periſteph. hymno 5.

Stridentibus laniatur vncis.

Ad hæc, Acta S. Sebaſtiani martyris à veteribus manuſcriptis, & à Surio tom. 1. recitata, vbi hæc verba leguntur: *In cloaca, quæ eſt iuxta Circum, quære, & ibi inuenies corpus meum pendens in vnco.* Ampliùs de vncis res geſtæ etiam aliorum SS. martyrum verba faciunt, vt Platonis apud Surium tom. 4. Pontiani apud eumdem tom 1. Nicetæ apud Petrum lib. 8. cap. 70. itémque SS. Tatianæ *, Martinæ, ac Priſcæ virginum Romanarum.

* De his SS. virginibus ſcripſimus in hiſtoria noſtra.

Ex his ergo iam dilucidè conſtat, ſolitos fuiſſe veteres vncis vti, non ſolùm ad reos excarnificandos, vel pertrahendos ad pœnas, hoc eſt, ad ſcalas Gemonias, ſed etiam ad eoſdem ſublime appendendos, & demum ad infames, multiſque flagitiis atque ſceleribus aſtrictos, qui ex hac vita diſceſſiſſent, trahendos in ſentinas, ac ſordium receptacula, vel in Tiberim. Quamobrem mirari deſinamus, ſi de B. Sebaſtiano ſcriptum deprehendatur, fuiſſe eius corpus poſt obitum

Digitized by Google

ipſius in cloacam Maximam vnco protractum: Chriſtiani quippe à Gentilibus, tamquam viri flagitij dedecoríſque pleni, ac ſi in dedecore nati fuiſſent, habebantur. Optimè igitur vncus circumſcribi definiríque poteſt hoc modo: Vncus, baculus eſt oblongus, ſiue haſtula oblonga ab altero latere ferramentum habens incuruum, ac in ſe retortum; quod inſtrumenti genus in vſu Romanis erat ad pertrahendos damnatos ad ſcalas Gemonias, atque ad eoſdem puniendos, & demum ad cadauera flagitioſorum hominum in publicas cloacas trahenda.

Chriſtianos nihili faciebant Gentiles.

Vncus quid ſit, explicatur.

Modi quibus ſancti martyres vnco trahebantur.

EODEM prorſus modo vnco cruciabantur Chriſtiani, quo vngulis. oſtendunt hoc (vt alia miſſa faciamus) Acta ſanctorum Platonis atque Pontiani martyrum paulò ſuperiùs notata, & quæ cap. 1. de ſtipitibus aſſeruimus.

FIGVRA SECVNDA B.

De pectinibus ferreis martyrij inſtrumentis.

AD diſcerpendas quoque Chriſti fidelium carnes ferrei pectines adhibebantur. confirmant hoc eorumdem res geſtæ, ſpeciatim Blaſij recitatæ à veteribus manuſcriptis cùm noſtræ bibliothecæ, tum aliorum, Tatianæ virginis deſcriptæ à nobis in hiſtoria noſtra SS. Virginum Romanarum, Febroinæ à Metaphr. Surij 3. & Lipom. 5. Iulittæ à Surio tom. ſimiliter 3. Aquilæ à Menologio 13. Kal. Iunij, Barbaræ virginis à veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manu exaratis, & à Surio tom. 6. & plurium aliorum, quorum ſingula nomina ſolus Deus ſcit. Similes erant hi pectines, ſicut nomen vſúſque illorum indicant, & denique quidam qui in peruetuſtis S. Blaſij imaginibus picti cernuntur, à veterum exemplaribus (vt docti viri opinantur) deſumpti; ſimiles, inquam, hi erant pectinibus illis, quibus lana pecti ſolet. Affigebatur his ferreis pectinibus haſtula quædam conuenientis longitudinis, non ſecus ac vngulis fieret: his enim martyres etiam excarnificabantur. Tria igitur erant inſtrumenta ad diſcerpendas ſanctorum martyrum carnes fabricata, vngulæ videlicet, vncus, ac pectines ferrei. Quod verò attinet ad modum, quo martyres pectinibus dilacerabantur, ſcira

FIGVRA SECVNDA C.

Pectines ferrei quo modo constructi.

conuenit eo prorſus his fuiſſe Sanctos martyrio affectos, quo vngulis afficiebantur.

De teſtaceis fragmentis, quibus carnes Sanctorum dilaniabantur.

CHRISTIANIS nonnumquam maioris crudelitatis ſtudio carnes teſtaceis fragmentis diſcerpebantur; cuius rei gratiâ, dudum notatis inſtrumentis non ſolùm aliquando latera eorum dilaniabantur, ſicuti latronibus fiebat, ſed etiam venter, femora, ac tibiæ. Audiamus, ſi placet, Euſebium, qui oculatus teſtis tantæ immanitatis rabiem aliqua ex parte ſuæ hiſtor. lib. 8. cap. 9. indicauit his verbis: *Apud Thebaida verò omnem narrationem ſuperat exercitata crudelitas: pro vngulis teſtas adhibebant tortores, quibus totum corpus eorſque lacerabant, donec carnis eraderent cutem.* & cap. 10. *Iam verò vngulis exarari, vſitatum ac leue ducebatur. quod tamen ſupplicij genus ſi cui fuiſſet adhibitum, non (vt latronibus & homicidis ſolet) latera ſolùm fodiebantur, ſed & venter etiam, & femora, & tibiæ; denique vſque ad vngues vngula penetrabat.* hæc ille.

Extendebantur Sancti ad quartum & quintum foramen.

NON contenti diaboli miniſtri prædictis tormentis, quibus Chriſti ſeruos afficiebant; excogitabant in dies, ipſorum cruciandorum gratiâ, noua alia crudelitatis & ſupplicij genera adinuenire; & quamuis adinuenerint multa, numquam tamen ipſis conſequi potuerunt, vt debilitaretur, vel frangeretur diuina virtus Chriſtianorum; imò fiebat, vt confirmaretur magis, magiſque clariſſimis victoriis illuſtraretur. Tyrannorum quippe immanitas excruciare atque excarnificare illorum corpora potuit, ânimos verò ipſos cæleſti virtute præſidióque munitos expugnare, aut labefactare nequaquam potuit. O felicia igitur illa tempora, ac beata! ô felices mortales illos! quorum talis tantáque extitit virtus, vt pueros, infantes etiam, qui tunc vitam agebant, deterrere tormenta quantumuis grauia nequaquam potuerint: dilaniabantur fortiſſimi Chriſti athletæ vngulis, aut flagellis; poſtea ad intenſiorem eorum cruciatum inuenere principes tenebrarum (veluti ſcribit Euſeb. hiſtor. lib. 5.


cap. 1. lib. 6. cap. 32. & lib. 8. cap. 11. & 14.) vt vi ad quartum vel quintum foramen plagis, verberibúſque pleni diſtenderentur. Quod quidem cùm factum eſſet, licèt maximus illis ineſſet dolor, murmur tamen nullum (ſicuti Eccleſia canit) nullâque querimonia reſonabat: corde namque tacito mentes illæ bene conſciæ patientiam conſeruabant. Si plura tibi de hoc tormenti genere ſcire placeat, vide quæ ſuprà cap. 3. notauimus, oſtendentes equuleum à compedibus fuiſſe diſtinctum: ibi enim multa ad hanc rem ſpectantia comperies.

Digitized by Google

FIGVRA I.

A Vngulæ.
B Pectines.
C Vnci.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA II.

Martyr ſuperioribus inſtrumentis miſerè diſcerptus, & dilaniatus.

Digitized by Google


C
A
B
AE

CAPVT VI.

De laminis igneis, & facibus, atque ardentibus lampadibus.

Immanitas Gentilium in ſanctos martyres.

QVAMVIS Gentes, in Chriſti contemptum, flagellis, vngulíſque & conſimilibus (vt cap. præcedenti dictum eſt) vtriuſque ſexus Chriſtianos in equuleo tortos, dilaniari, extendíque ad quartum vel quintum foramen iuſſiſſent; non tamen idcirco eorum rabies explebatur: vnde eueniebat, vt ſæpiſſime ſuper illorum recentiora vulnera vel viuam calcem, vel liquens plumbum, aut oleum feruens, vel aliud ſimile perfundi facerent, vel teſtaceis fragmentis eadem dilatari, aut textis ex pilis confectis valde atteri, confricaríque mandarent; vel denique laminis candentibus, facibus, atque ardentibus lampadibus eoſdem ſic malè affectos miſerandum in modum torreri decernerent. O felices illorum temporum Chriſtianos! his ſiquidem cruciamentis, idololatris neſcientibus, ſeipſos acceptabiles viuáſque hoſtias Deo viuenti, non ſine ingenti lætitia, offerebant. Tractabimus igitur hoc capite de tribus hiſce adurendi inſtrumentis, & primùm de laminis igneis, deinde de facibus, poſtremò de lampadibus ardentibus.

Calx, & plumbũ, & teſtacea fragmenta in ſanctorum carnificina.

De laminis ardentibus.

MENTIO fit de laminis ardentibus à Plauto in Aſinar. his verbis:

Stimulos, laminas, crucéſque.

à Cicerone in Verrem actione 7. *Quid enim*, inquit, *cùm ardentes laminæ, ceteríque cruciatus admouebantur?* ab Horatio epiſtolarum lib. 1. epiſtola ad C. Numomium Vallam 15. vbi ſic ait:

Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos correctus.

à Cypriano de laude martyrij: *Corpus namque* (ait) *extentum candentes ſtridet ad laminas.* à Prudentio in Vincentij martyris hymno 5. ſic:

Stridénſque flammis lamina &c.

& in Roman. hymno 10.

Nec inuſta laminis ardet cutis.

& à Victore de perſecutione Wandalica lib. 1. *Tunc etenim noſtræ ciuitatis venerabilis Papinianus Antiſtes candentis ferri laminis toto aduſtus eſt corpore.* & alibi ſæpe. Hoc cruciatus genere Acta ſanctorum martyrum confetta & plena ſunt, meminítque eius frequentiſſimè Euſebius, ſpeciatim hiſtor. lib. 5. cap. 1. & 3. & lib. 8. cap. 3. Porro aduſtiones laterum inter publicas pœnas l. 1. C. de emendat. ſeruor. recenſentur. Erat autem lamina (vti aliqui ex citatis auctoribus, & quamplurimæ ſanctorum martyrum res geſtæ innuere videntur) metalli cuiuſuis fruſtum ductum magis in longitudinem, quàm in latitudinem, bractea craſſius. bractea quippe in hoc à lamina differt, quòd illa tenuior eſt, ſuáque ſponte plicabilis, ac crepitans; lamina verò craſſior, & crepitum non edit: ex ea namque armatura conficitur, & incensâ homines olim torqueri ſolebant. Admouebatur verò huiuſmodi ferri fruſtum igne calefactum nudis ſanctorum martyrum, vel noxiorum hominum carnibus, & tamdiu ibidem detinebatur, donec eas immiſericorditer combuſſiſſet. Hoc martyrij inſtrumento cruciati fuere glorioſiſſimi Chriſti milites Laurentius, Dioſcorus, Baſſus Epiſcopus, Vincentius, Martianus, Parmenius, Helimenes, Chryſotelus, Lucas, Mutius, Hermagoras, aliíque multi. Ad hæc Theatrum crudelitatum hæreticorum noſtri temporis pluribus docet Catholicos etiam hoc tempore ab Huguenotis & Caluiniſtis laminis igneis fuiſſe aduſtos.

Laterum aduſtio inter publicas pœnas recenſetur.

Lamina quid.

Bractea in quo differat à laminis.

De facibus quibus ſancti martyres adurebantur.

De his facibus ſermo habetur in diuerſis Sanctorum rebus geſtis, nominatim Sabæ ductoris militum à Rom. Martyrologio relatis 8. Kal. Maij; Eulaliæ virginis Emeritenſis à nobis in hiſtoria noſtra SS. Virginum externarum, Barbaræ virginis à veteribus manuſcriptis noſtræ bibliothecæ, & à Surio tom. 6. Primi à Petro lib. 5. cap. 99. & à codicibus noſtræ bibliothecæ manu exaratis; Venantij à Petro etiam lib. 8. cap. 12. Sabini à Surio tom. 2. Agathangeli à Metaphr. Surij 1. ſub. S. Clementis Ancyræ Epiſcopi inſcriptione.

Duplicis generis hæ faces apud veteres extitere: quædam confectæ ex intimioribus craſſioribúſque partibus illarum

Faces plurium generum.

arborum, quæ reſinam ferunt, cuiuſmodi ſunt picea, teda, larix, & pinus. meminerunt harum antiqui ſcriptores, vt Varro in γεροντοδιδασκάλῳ à Nonio Marcello relatus: *Conſluit mulierum tota Roma; quæ noctu fieri initia ſolita etiam nunc pinea fax indicat.* Idem ſexageſi:

Adeſt fax inuoluta incendio.

Locus corruptus. Idem de vita Populi Romani lib. 2. *Cùm à noua nupta ignis in face afferretur, de foco eius ſumptus fax ex pinu ablata eſſet, vt eam puer ingenuus afferret.* hæc ex Varrone Nonius. De iiſdem etiam Virgilius Georg. 1.

---- Ferro faces inſpicat acutas.

vbi per faces, tedas intelligunt expoſitores. Et Æneidos 7.

Sic effata facem iuuenis coniecit, & atro
Lumine fumantes fixit ſub pectore tedas.

Et demum eodem lib.

---Et caſtis redolent altaria tedis.

Cicero pro Sexto Roſcio Amerino: *Agitari, & perterreri furiarum tedis ardentibus.* & in L. Piſonem: *Vt in ſcena, P.C. videtis homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tedis ardentibus.* & alibi ſæpe. Præter hos commemorât etiam de eiſdem Plinius lib. 16. cap. 10. pluribus verbis; Suetonius in Caligula cap. 13. cùm ait: *Tamen inter altaria, & victimas, ardenteſque tedas.* Et in Nerone cap. 34. *Sæpe*, inquit, *confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus.* Et hæc de primo.

Alterius verò generis faces ex contortis funiculis, cerâ, aut pice circumdatis fiebant. harum fidem faciunt Virgilius Æneid. 1. his verbis:

---- Et noctem flammis funalia vincunt.

Cicero lib. de Senect. *Delectabatur cereo funali.* & lib. de Officiis: *Omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt, & ad eas thus, & cerei.* Valerius Maximus lib. 3. cap. 6. de Caio Duilio: *Epulaturus erat ad funalem cereum, præeunte tibicine.* Martialis lib. 14.

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.

De vtriſque etiam Plutarchus in Cicerone: *Funalia præterea per vrbis vicos elucere, lampades, faces, tedæque in foribus figi.*

Facibus vrebantur SS. martyres. His igitur explicatis, dicimus, vtriuſque generis facibus, hoc eſt, funalibus, & tedis, fuiſſe Chriſtianos à Gentilibus

FIGVRA SECVNDA A & B. ſemiuſtulatos. De tedis teſtes ſunt Acta ſanctæ Barbaræ virginis nuper citata: namque vbi alij ſcripſere Barbaram faci-

bus fuiſſe aduſtam, Metaphr. tedis eam excruciatam fuiſſe memoriæ tradidit; ſic enim ſcriptum reliquit: *Accenſus Præſes ad maiorem iracundiam, & non valens ſe continere, iubet iis qui aderant, ferreis pectinibus latera virginis ſcindere, & tedis igneis membra iam lacerata vrere.* hucuſque res geſtæ. Apud Surium tom. 6.

Prætcrea tedæ, ſicuti & funalia, erant temporibus illis valde in vſu, vt prænotati auctores indicare videntur, & ratio ipſa confirmat. Siquidem teda redundantior humore eſt aliis arboribus reſinam ferentibus, parcior liquidiórque quàm picea, flammíſque (vt inquit Plinius) & lumini ſacrorum gratior. Faces igitur ex teda confectæ erant antiquis magis vſitatæ, quàm reliquæ ſimilis generis. Facibus ex tedis magis vtebantur antiqui.

Hoc etiam tormenti genere (vt tradit Theatrum crudelitatum hæreticorum noſtri temporis) affliguntur Catholici in religionis noſtræ odium ab Huguenotis, vt ibidem videre poteris. Facibus ab hæreticis cruciantur Catholici.

De lampadibus ardentibus.

SERMO fit de lampadibus ardentibus (quas quidam quia genus earum tantummodo conſiderant, cum facibus confundunt) in ſanctorum martyrum Actis, videlicet Theophili à veteribus manuſcriptis recitatis, & à Surio tom. 1. Dioſcori à Petro lib. 5. cap. 11. Felicis, ac Fortunati eius ſocij à Mombrit. tom. 1. Pantaleonis à codicibus tum noſtris, tum aliorum manu exaratis, & à Surio tom. 2. Geneſij à veteribus manuſcriptis, & à Petro lib. 7. cap. 110. Reginæ virginis à Mombritio tom. 2. Theodori preſbyteri à Romano Martyrologio 10 Kal. Nouembr. Alexandri Epiſcopi à Petro lib. 8. cap. 102. Naboris à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, Parmenij & ſociorum à Petro lib. 4. cap. 79. Hermagoræ Epiſcopi à codicibus item noſtris manu exaratis, Mennæ à Metaphr. Surij 6. & demum Victoris & Coronæ à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, à Petro catalogi lib. 4. cap. 168. & aliorum innumerabilium martyrum.

Reuocantur lampades (ſi fides præſtanda eſt quibuſdam, quæ hîc Romæ in antiquis marmoribus ſculptæ conſpiciuntur) ad genus facis: fiebant autem hoc modo. Deſumebantur primùm vaſa quædam lata vnius palmi longitudinis, vel aliquantulùm maioris, quæ deinde à ſummo ad arctiorem Lampades quid eſſent.

formam paululùm præpoſteræ peruerſæque pyramidis inſtar contrahebantur, atque adſtringebantur. Erant autem vaſa vel terrea, ſicuti indicant illa quæ ex ruinis huiuſce vrbis nonnumquam eruuntur; vel ferrea, veluti Columella innuit lib. 12. cap. 18. Poſtea verò vaſa hæc haſtulis quibuſdam quadratis & ſimul colligatis ſepta, quæ ad vaſorum ſimilitudinem & ipſæ à ſummo paulatim adſtringebantur, igne flammam emittente repleri ſolebant. Porro has haſtulas, ſi ad ea, ad quæ lampades vſui erant, animum referamus, intelligemus quinque aut ſex palmis plus minúſve extitiſſe oblongas.

Rationes pro lampadibus.

Ceterùm hæc ſic à nobis ex antiquorum exemplis deſcripta, lampades, & non faces, id eſt, tedas, aut funalia, fuiſſe, probatur multis modis. Primò, quoniam prædictis in marmoribus conſpicitur, ibi flammam vehementiorem incipere, vbi haſtulæ deſinunt: non ergo prioris generis faces erant, ſed alterius, nempe lampades; nam ſi fuiſſent faces primi generis, haſtulæ, quæ manubrij loco ibidem inerant, cùm ligneæ eſſent, fuiſſent abſque dubio ab igne illis vaſis contento combuſtæ. Ad hæc, neminem videmus, qui totos ardentes cereos in candelabris figat, ſed partem dumtaxat eorum, vt ſic faciliùs ardere, conſumíque poſſint, & prælucere, vbi iacent, clariùs.

Dicet fortaſſe quiſpiam, nihil obſtare, quin fuerint primi generis faces; haſtulæ ſiquidem ideo non comburebantur, quia ferreæ, & non ligneæ erant. Sed hoc verum eſſe nulla ratione poteſt: tum quia lampadibus vtebantur antiqui ad torrendos reos in equuleo leuatos, aut ſublime appenſos, aut columnis vel ſtipitibus ligatos: leues igitur, & non graues, vt carnifices eas præ manibus commodiùs habere poſſent, cenſendæ ſunt extitiſſe: quocirca non ex ferro, ſed ex ligno effectas fuiſſe, fateri oportet. Confirmatur deinceps vngularum exemplo; quæ licèt nullius ferè ponderis eſſent, tamen haſtulas leuiſſimas ſibi affixas, ad damnatos homines facilè excruciandos, habebant.

Si adhuc alius diceret, fuiſſe faces primi generis, & haſtulas ligneas habuiſſe, quæ ob vaſa aliqua terrea, vel ferrea, in quibus funalia affigebantur, aduri nequibant. At neque ſic affirmari licet: tum quia fuiſſent ibidem prædicta vaſa ſupervacanea; namque primi generis faces, hoc eſt, tedæ, vel cerei,

cerei, cùm ſolidæ ſint, non indigent vaſorum adminiculo; ſatis enim illis fuiſſet, haſtulis ſimul colligatis muniri, atque vallari. Tum etiam quia carnifices, quorum erat reorum carnes ipſis ſemiuſtulare, commodiùs hoc effeciſſent facibus extra haſtulas ſtantibus, quàm ita intra eas manentibus, vt illis contingebat, ex quibus alterum genus facis deſcripſimus; ſic enim vehementiorem acriorémque flammam emiſiſſent. Lampades igitur erant, & non funalia, vel tedæ. Corroboratur hoc idem, quoniam ſi primi generis faces erant, conſequeretur ex hoc, ſtantibus illis (ſicuti diximus ſuprà) ſecundùm omnes illarum partes intra haſtulas, vt citò conſumptæ fuiſſent, earum etiam ardor, ſine mora ferè aliqua repreſſus & reſtinctus remanſiſſet; quod profectò præter Gentilium opinionem extitiſſet, quorum præcipuum ardénſque ſtudium fuit, Chriſtianos homines hoſtilem in modum, omni prorſus miſeratione remota, excruciare.

Cùm igitur apud veteres nulla alia extiterint facis genera, præter cereos, tedas, & his ſimilia, ac lampades; fateri opus eſt, faces, quas ſuperiùs ex antiquarum exemplis deſcripſimus, cùm nec tedæ, nec funalia fuerint, lampades fuiſſe. In hanc quoque ſententiam ſcribere videtur Virgilius Æneid. 9. dum ſic cecinit:

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & poſtibus hæſit adeſis.

De modo quo martyres lampadibus adurebantur.

EODEM prorſus modo SS. martyres lampadibus torrebantur, quo vngulis, pectinibus, & vncis excarnificabantur. Dant huius rei teſtimonium multa ex Actis nuper citatis, & ea quæ à nobis cap. 1. de columnis, arboribus, atque ſtipitibus tractata ſunt.

De cruciatibus, quibus martyres de equuleo depoſiti afficiebantur.

NOVISSIME obſeruari oportet, Chriſti fideles de equuleo depoſitos, prædictis iam inſtrumentis aut excruciatos fuiſſe, aut continuò ad quartum vel quintum foramen cru-

Martyres de equuleo depoſiti vltra ſæuiebantur.


Digitized by Google

FIGVRA TERTIA B. FIGVRA TERTIA C. ribus diuaricatis diſtentos, vt cap. 3. diximus, aut nudos ſuper teſtaceis fragmentis diu volutatos, aut etiam quandoque oleo ebullienti, vel conſimilibus perfuſos; quæ omnia & ſingula oſtendunt ſanctorum martyrum Acta, Vincentij nimirum à Mombritio relata tom. 2. Ianuarij à Petro deſcripta catalog. lib. 6. cap. 85. Pelagij ab eodem auctore lib. 7. cap. 120. Felicis ac Fortunati à Petro ſimiliter catalogi lib. 4. cap. 167. Aliis etiam ſuppliciis legimus eos de equuleo depoſitos, affectos fuiſſe, quorum ſæpiſſimè in Actis ſanctorum martyrum fit mentio. Vide, ſi libet, Acta S. Mennæ à Surio ex Metaphr. tom. 1. recitata. Et de facibus, laminis, atque lampadibus hactenus.

FIGVRA I.

A Lampades ardentes.
B Funalia & faces.
C Laminæ candentes.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA II.

A Martyr in equuleo poſitus, & funalium flammâ vſtulatus.

B Martyr pedibus è trochlea ſuſpenſus, & eodem tormenti genere cruciatus.

Digitized by Google



Digitized by Google


FIGVRA III.

A Equuleus.

B Martyr de equuleo depoſitus ſuper teſtaceis fragmentis volutabatur.

C Aut viua calce, oleo ebullienti, & conſimilibus perfundebatur.

Digitized by Google



Digitized by Google

Capvt VII.

De tauro æneo, ſartagine, olla, lebete, craticula, & lecto, item de ſella, galea, ac tunica, aliiſque ferreis ignitis martyrij inſtrumentis.

QVONIAM ſuperiore capite de illis martyrij inſtrumentis egimus, quibus damnati homines exurebantur; reliquum eſt modò, vt de aliis quibuſdam hîc inueſtigemus, quibus eodem vel conſimili cruciatus genere iidem affici ſolebant. Incipientes itaque à tau-
De tauro æneo. ro æneo, dicimus extitiſſe apud antiquos genus tormenti immaniſſimum: in quem (veluti Acta S. Euſtachij martyris manuſcripta demonſtrant, & Lucianus in dialogo, qui Phalaris primus inſcribitur) per dorſum apertum (oſtium enim vnum in latere habebat) ſi quis ibi aderat cruciandus, coniiciebatur: & poſtea dorſo iterum concluſo, ignis circum ipſum accendebatur; ex quo fiebat, vt ibidem clauſi, inuſitatis doloribus detenti, bouis mugitum & plorando, & vociferando ederent. Fuit autem hæc ænea machina ſic ad veri tauri imaginem accuratè expreſſa, vt (ſicuti idem Lucianus loco prædicto teſtatur) motus illi dumtaxat & mugitus deeſſet, quo minùs viuus crederetur. Porro eiuſdem machinæ inuentor (Ouidio auctore lib. 5. de triſtibus eleg. 1.) fuit
Perillus inuentor tauri ænei. quidam Athenienſis ingenio præſtans, Perillus nomine: qui arbitratus ſe Phalari Agrigentinorum Tyranno rem valde gratam facturum, quippe qui nouis ſemper tormentis delectaretur, cùm præcipuam præ rebus omnibus in ſumendis ſuppliciis voluptatem capere ſoleret; ab hac ſua ſpe, qua te-
Perilli mors. nebatur, deceptus remanſit: nam Tyranni iuſſu, à quo non leue munus ſperabat, in taurum coniectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit. quocirca Ouidius de eo ſic cecinit:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infœlix imbuit auctor opus.

Propertius item lib. 2. hæc de eodem:

Et gemere in tauro, ſæue Perille, tuo.

His adiungimus Valerium Maximum lib. 9. cap. 2. de crudelitate

Digitized by Google

delitate hæc de Perillo externorum 9. narrantem: *Sanus etiam ille anei tauri inuentor, quo incluſi ſubditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus reſonante ſpiritu edere cogebantur, ne eiulatus eorum, humana ſono vocis expreſſi, Phalaridis Tyranni miſericordiam implorare poſſent: quam quia calamitoſis deeſſe voluit, teterrimum artis ſuæ opus primus artifex incluſus meritò auſpicatus eſt.* hæc Valerius Maximus. Si de his plura noſcere cupis, lege Phalaridis epiſtolam 103. Ciceronem in L. Piſonem, Plinium lib. 84. cap. 8. Ouid. de triſtibus lib. 5. eleg. 1. & Lucianum in dialogo, qui Phalaris primus inſcribitur; licèt ibi aliqua miſceantur, quæ vera non ſint: fingitur enim eo loco taurum Perilli à Phalaride Delphos mitti, vt ibi in templo inter cetera donaria Deo conſecretur; & quia apud omnes pro crudeliſſimo atque immaniſſimo Tyranno habebatur, ob id ne donum hoc Delphis, vt ab impio & nefario profectum, reiiceretur, oratione mendaciis referta, contra famam hanc de ſe diuulgatam, per legatos ſeſe defendiſſe. Lucianus in ſuis dialogis multa fingit de tauro æneo.

Verùm non ſolùm Perillus ſuæ artis experimentum præbuit, ſed & Phalaris quoque: nam cùm nimia eius atrocitas ampliùs ferri non poſſet, facto in eum vniuerſorum ciuium impetu, correptus, eo ipſo tauro, quo alios exuſſerat, incluſus, viuus crematus eſt. Quamobrem Ouidius in Ibin hæc memoriæ tradidit: Phalaris quo motus genere peremptus.

Vtque ferox Phalaris, linguâ priùs enſe reſectâ,
More bouis Phario clauſus in ære gemas.

Diſſentire ab hoc auctore videtur Valerius Maximus, qui lib. 3. cap. 3. de patientia externor. 4. loquens de morte Phalaridis, in hæc verba prorupit: *Increpitans Zeno Agrigentinis ignauiam ac timiditatem, effecit, vt ſubito mentis impulſu concitati, Phalarim lapidibus proſternerent.* hæc Valerius; cui proximè, ni fallamur, accedit Cicero de Officiis lib. 2. dum ait: *Phalaris præter ceteros nobilitata crudelitas, qui non ex inſidiis interiit, ſed in eum vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit.* hucuſque Cicero: cuius quidem ac Valerij verba ſi attentè ſpectentur, apparebit eos ab Ouidio non differre: nam lapidibus fortaſſe primùm appetitus fuit, & poſtea in bouem æneum candentem (vt Ouidio, aliiſque placuit) coniectus. Diuerſa ſentire videntur ex antiquis aliqui de Phalaridis morte.

FIGVRA PRIMA A.

Præter hos, alij etiam permulti hoc ſupplicij genere affecti fuere, quorum aliqui Chriſtianam religionem profitebantur: Gentiles quippe ea furoris rabie in Chriſti fideles Chriſtiani in tauro æneo excruciati, & quinam hi fuerint.

inſiluerunt, vt immaniſſima, ac vetera, & antiquata quæque martyrij inſtrumenta in illorum interitum excitauerint, atque applicuerint. Ceterùm Chriſtiani, qui in eum immiſſi atque incluſi fuerunt, hi ſunt, Antipas, Euſtachius Patricius Romanus, Theopiſtes eius vxor, Agapius & Theopiſtus filij, Pelagia virgo, qui omnes (vt ipſorum Acta clamant) alacri promptóque animo in bouem candentem inſiluerunt; nam Antipas immenſas Deo gratias agens, & Euſtachius cum vxore & filiis nimiâ lætitiâ exultans eum ſunt ingreſſi, & Pelagia virgo Tarſenſis hymnum illic maximo gaudio triumphans cecinit Deo.

Antipæ Acta Surius tom. 2. & Lipom. 7. ex Metaphr. Euſtachij vetera manuſcripta, & Lipom. 6. & Sur. 5. ex Metaphr. Pelagia Lipom. 7. Surius 3. ex eodem Metaphr.

Præterea de quibuſdam aliis Chriſtianis martyribus legimus, fuiſſe candenti tauro incluſos, qui tamen, diuinâ eos protegente gratiâ, illæſi atque incolumes ex illo exiere: fuerunt ex horum numero miles quidam, Barbarus nomine, cuius res geſtas Petrus deſcripſit catalog. lib. 4. cap. 170. & Heliodorus, de quo Græci in ſuo Menologio 13. Kal. Decemb. his verbis agunt: *Natalis S. martyris Heliodori ex Maghedo vrbe Pamphiliæ, Imperatore Aureliano in vrbe Roma, præſidente Aetio in Maghedo ciuitate Pamphiliæ, B. Heliodorus in illa ipſa vrbe Chriſtum prædicans, delatus eſt apud Præſidem. Itaque adductus, cùm idolis ſacrificare non pateretur, ſuſpenditur, & laceratur: cúmque tormentorum acerbitatem ſentiret, clamabat: Domine Ieſu Chriſte, adiuua me. Statímque è cælo voce miſſa, audiuit: Ne timeas, tecum enim ſum. Hanc vocem, qui faces accenſas tenebant, atque inſuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Chriſtum crediderunt, & arguentes Præſidem, in mare proiecti ſunt, victoriæ coronas percipientes. Tunc iuſſit Præſes æneum bouem accendi, atque in illum martyrem iniici: & coniecto confeſtim eius precibus ardens bos ille effectus eſt frigidus. Ea re Iudex magis obſtupuit, quòd virum illum intus pſalmos canentem ſenſit. Accedens verò ad æream illam machinam, cùm vidiſſet ſcintillas modò emittentem, repentè frigidam effectam; ſanctum virum increpans, Tune, inquit, ſceleſtum caput, tuis magicis artibus in ignem præualuiſti? Cui ſanctus ille; Meæ, inquit, magicæ artes, Chriſtus eſt. Præſcribe mihi, inquit, trium dierum tempus, vt mecum ipſe cogitem, quid agere debeam. Itaque remiſſione accepta, clam templum deorum adiit; cúmque Deum precatus eſſet, idola omnia repentè decidentia contrita ſunt. Quod cùm audiſſet Præſes, Heliodorum ad ſe ductum, furore plenus, ſuſpendi iuſſit, & clauos ignitos in eius*

Barbarus miles Chriſtianus in tauro æneo incluſus non moritur.

Heliodori martyrium.

Heliodorus in boue æneo incluſus non læditur ab igne.

caput defigi: cùm verò Iudex vidiſſet martyrem nec multitudine, nec varietate tormentorum ſuperari, ad ciuitatem Atalenſium illum miſit: ibique conſtanter in confeſſione permanens, in feruentem ſartaginem immiſſus eſt; vbi ſtans, atque orans, illæſus permanſit. ex quo circumſtantes crediderunt in Dominum, dicentes: Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum. Vt vidit Præſes multos in Heliodori Deum credidiſſe, timens ne fortè è manibus eius eum eriperent, iuſſit ad vrbem Maghedo reduci: quem milites orantem & pſallentem duxerunt. Rurſus vir ſanctus interrogatus, eamdem Chriſti confeſſionem repetens, magis magíſque aſſeruit. Præſes iuſſit linguam excidi, & ſuſpenſum duabus horis cædi, & camo impoſito extra vrbem traxerunt. quibus vir ſanctus manu annuens, conſtitit ad prædicandum: qua prædicatione completa obtruncatus eſt. hucuſque Menologium. Iam verò de olla agamus. Camus genus vinculi. hinc Plautus in Caſſ. poſuit pro fune, quo damnati furcæ alligantur.

De olla martyrij inſtrumento.

MEMINIT de olla martyrij inſtrumento Scriptura ſacra Machab. 2. cap. 7. Ioſephus lib. de Machabæis ad Polybium, & Acta ſanctorum, nimirum Bonifacij à Surio tom. 2. ex Metaphr. recitata, & à veteribus manuſcriptis tum noſtræ bibliothecæ, tum aliorum; Iulianæ à peruetuſtis etiam codicibus manu exaratis, & à Metaphr. Surij 2. & Luciæ Romanæ à veteribus ſimiliter noſtræ bibliothecæ manuſcriptis. Erat olla (ſicuti Nonius Marcellus, & prædictæ Sanctorum res geſtæ indicant) capaciſſimum vas ex ære confectum, in quod damnati homines veſtibus denudati immittebantur, vt ibidem elixarentur. Olla quid ſit.

Scire hìc poteris, hæc in more maiorum extitiſſe, vt plurima vaſorum genera habuerint ad reos in ipſis excruciandos, & maximè Chriſtianos: vtebantur enim ſartagine ad eorum carnes ſuffrigendas, lebete & olla ad eaſdem elixandas. Erat olla (vt nuper tetigimus) illud vaſis genus, quod nos vulgari ſermone pentolam dicimus, in quo carnes elixantur. Demonſtrat hoc non ſolùm huius Latinæ vocis, ollæ, ſignificatio, ſed permulti quoque antiqui ſcriptores, qui per ollam hoc idem, & non aliud intellexere. Sic Varro à Nonio Marcello relatus, cùm ait: *Simul manibus trahere lanam, necnon ſimul oculis obſeruare ollam, pultis ne aduratur.* Plautus, teſte eodem, in Amphitryone:. Vaſa plurium generum inſtrumenta carnificinæ.

inſiluerunt, vt immaniſſima, ac vetera, & antiquata quæque martyrij inſtrumenta in illorum interitum excitauerint, atque applicuerint. Ceterùm Chriſtiani, qui in eum immiſſi atque incluſi fuerunt, hi ſunt, Antipas, Euſtachius Patricius Romanus, Theopiſtes eius vxor, Agapius & Theopiſtus filij, Pelagia virgo, qui omnes (vt ipſorum Acta clamant) alacri promptóque animo in bouem candentem inſiluerunt; nam Antipas immenſas Deo gratias agens, & Euſtachius cum vxore & filiis nimiâ lætitiâ exultans eum ſunt ingreſſi, & Pelagia virgo Tarſenſis hymnum illic maximo gaudio triumphans cecinit Deo.

Antipæ Acta Surius tom. 2. & Lipom. 7. ex Metaphr.
Euſtachij vetera manuſcripta, & Lipom. 6. & Sur. 5. ex Metaphr.
Pelagia Lipom. 7. Surius 3. ex eodem Metaphr.

Præterea de quibuſdam aliis Chriſtianis martyribus legimus, fuiſſe candenti tauro incluſos, qui tamen, diuinâ eos protegente gratiâ, illæſi atque incolumes ex illo exiere: fuerunt ex horum numero miles quidam, Barbarus nomine, cuius res geſtas Petrus deſcripſit catalog. lib. 4. cap. 170. & Heliodorus, de quo Græci in ſuo Menologio 13. Kal. Decemb. his verbis agunt: *Natalis S. martyris Heliodori ex Maghedo vrbe Pamphiliæ, Imperatore Aureliano in vrbe Roma, præſidente Aetio in Maghedo ciuitate Pamphiliæ, B. Heliodorus in illa ipſa vrbe Chriſtum prædicans, delatus eſt apud Præſidem. Itaque adductus, cùm idolis ſacrificare non pateretur, ſuſpenditur, & laceratur: cúmque tormentorum acerbitatem ſentiret, clamabat: Domine Ieſu Chriſte, adiuua me. Statímque è cælo voce miſſa, audiuit: Ne timeas, tecum enim ſum. Hanc vocem, qui faces accenſas tenebant, atque inſuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Chriſtum crediderunt, & arguentes Præſidem, in mare proiecti ſunt, victoriæ coronas percipientes. Tunc iuſſit Præſes æneum bouem accendi, atque in illum martyrem iniici: & coniecto confeſtim eius precibus ardens bos ille effectus eſt frigidus. Ea re Iudex magis obſtupuit, quòd virum illum intus pſalmos canentem ſenſit. Accedens verò ad æream illam machinam, cùm vidiſſet ſcintillas modò emittentem, repentè frigidam eff. ctam; ſanctum virum increpans, Tune, inquit, ſceleſtum caput, tuis magicis artibus in ignem præualuiſti? Cui ſanctus ille; Meæ, inquit, magicæ artes, Chriſtus eſt. Præſcribe mihi, inquit, trium dierum tempus, vt mecum ipſe cogitem, quid agere debeam. Itaque remiſſione accepta, clam templum deorum adiit; cúmque Deum precatus eſſet, idola omnia repentè decidentia contrita ſunt. Quod cùm audiſſet Præſes, Heliodorum ad ſe ductum, furore plenus, ſuſpendi iuſſit, & clauos ignitos in eius*

Barbarus miles Chriſtianus in tauro æneo incluſus non moritur.
Heliodori martyrium.

Heliodorus in boue æneo incluſus non læditur ab igne.

Digitized by Google

caput defigi: cùm verò Iudex vidiſſet martyrem nec multitudine, nec varietate tormentorum ſuperari, ad ciuitatem Atalenſium illum miſit: ibique conſtanter in confeſſione permanens, in feruentem ſartaginem immiſſus eſt; vbi ſtans, atque orans, illæſus permanſit. ex quo circumſtantes crediderunt in Dominum, dicentes: Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum. Vt vidit Præſes multos in Heliodori Deum crediddiſſe, timens ne fortè è manibus eius eum eriperent, iuſſit ad vrbem Maghedo reduci: quem milites orantem & pſallentem duxerunt. Rurſus vir ſanctus interrogatus, eamdem Chriſti confeſſionem repetens, magis magiſque aſſeruit. Præſes iuſſit linguam excidi, & ſuſpenſum duabus horis cædi, & camo impoſito extra vrbem traxerunt. quibus vir ſanctus manu annuens, conſtitit ad prædicandum: qua prædicatione completa obtruncatus eſt. hucuſque Menologium. Iam verò de olla agamus.

Camus genus vinculi. hinc Plautus in Caſſ. poſuit pro fune, quo damnati furcæ alligantur.

De olla martyrij inſtrumento.

MEMINIT de olla martyrij inſtrumento Scriptura ſacra Machab. 2. cap. 7. Ioſephus lib. de Machabæis ad Polybium, & Acta ſanctorum, nimirum Bonifacij à Surio tom. 2. ex Metaphr. recitata, & à veteribus manuſcriptis tum noſtræ bibliothecæ, tum aliorum; Iulianæ à peruetuſtis etiam codicibus manu exaratis, & à Metaphr. Surij 2. & Luciæ Romanæ à veteribus ſimiliter noſtræ bibliothecæ manuſcriptis. Erat olla (ſicuti Nonius Marcellus, & prædictæ Sanctorum res geſtæ indicant) capaciſſimum vas ex ære confectum, in quod damnati homines veſtibus denudati immittebantur, vt ibidem elixarentur.

Olla quid ſit.

Scire hîc poteris, hæc in more maiorum extitiſſe, vt plurima vaſorum genera habuerint ad reos in ipſis excruciandos, & maximè Chriſtianos: vtebantur enim ſartagine ad eorum carnes ſuffrigendas, lebete & olla ad eaſdem elixandas. Erat olla (vt nuper tetigimus) illud vaſis genus, quod nos vulgari ſermone pentolam dicimus, in quo carnes elixantur. Demonſtrat hoc non ſolùm huius Latinæ vocis, ollæ, ſignificatio, ſed permulti quoque antiqui ſcriptores, qui per ollam hoc idem, & non aliud intellexere. Sic Varro à Nonio Marcello relatus, cùm ait: *Simul manibus trahere lanam, necnon ſimul oculis obſeruare ollam, pultis ne aduratur.* Plautus, teſte eodem, in Amphitryone:

Vaſa plurium generum inſtrumẽta carnificinæ.

Optimo iure infringatur olla cineris in caput.
idem etiam in Aulularia, præcipuè actu 1. & Perſius ſatyra 4.
Cæpe, & farratam, pueris plaudentibus, ollam.
id eſt (veluti expoſitores ibidem) pultem, quæ in ollis coquebatur, & fiebat ex farre. Ampliùs Columella lib. 8. cap. 8. *Eius*, inquit, *pulli fictilibus ollis conduntur.* S. Iſidorus etymologiar. lib. vlt. cap. 6. vbi de olla loquens, idem prorſus quod nos, pluribus aſſerit. Erat igitur olla (vti iam explicauimus) vas ampliſſimum ex ære factum, in quo martyres ignominiæ gratiâ elixabantur; fabricatum (vt quædam peruetuſtæ oſtendunt, quæ ex huiuſce vrbis ruinis erui nonnumquam ſolent) ad ollarum, quibus vtimur ad cibaria coquenda, ſimilitudinem, abſque oris, cum duabus anſis, quæ vel partim quadratæ erant, partímque rotundæ; quadratæ ab imo ad medium, rotundæ à medio ad extremum: vel erant humanarum aurium inſtar confectæ. ab aliis verò lateribus inerant illis duo ferri fruſtula paululùm excauata, alterum aduersùs alterum; quibus ad vectes ligneos immittendos annuli quidam ferrei (vt tortores eas manibus & faciliùs tenere potuiſſent, & quocumque eis placuiſſet, geſtare) indebantur. Apparebunt omnia hæc & ſingula in ea olla, quam ex antiqua tabella exprimendam curauimus.

Olla martyrii instrumentum quo modo fabricata.

FIGVRA SECVNDA A.

Modi quibus Dei omnipotentis famuli in ollam immittebantur.

DEMISSO quandoque ad terram capite in ollam ſerui Dei immergebantur. quocirca de S. Bonifacio martyre hæc in eius actis leguntur: *Iratus Iudex iuſſit afferri ollam, & eam pice impleri bullıente, & mitti in eam ſanctum martyrem*, id eſt, *Bonifacium, verſo capite. Sanctus autem martyr Chriſti, facto ſigno crucis, merſus eſt in ollam.* hactenus res geſtæ. Ad hæc, coniiciebantur etiam in ollam ſic prælo preſſi, atque plicati, vt caput eorum ad genua pelleretur. huius alterius modi teſtis eſt Ioſephus loco cit. his verbis: *Carnificum manibus ollæ æneæ imponitur (hoc pœnali ſupplicio nomen eſt) prælo gyrato, hoc eſt, verſato, ſanctum caput ad genua impellitur, ſicque corpore deorſum redacto, pugil in eam, quam diximus, ollam miſerrimè delituit.* hæc ibi.

Prælum martyrij instrumentum.

Aduertat hîc lector, Ioſephum per prælum denotaſſe quod-

dam inſtrumenti preſſorij genus: prælum quippe non tantùm trabem illam ſignificat, quâ in torculari vua, vel oliua calcata premitur, ſed etiam, Budæo teſte, inſtrumentum preſſorium, quo potiſſimùm pannarij, chartarij, & librorum impreſſores vtuntur. Vnde Plinius lib. 13. cap. 12. de chartarum generibus: *Premuntur*, inquit, *deinde prælis, & ſiccantur Sole, atque inter ſe pagellæ iunguntur.* hæc ille.

De lebete.

ERAT aliud genus vaſis, quo maiores (vt res geſtæ martyrum teſtantur) ad Chriſtianos elixandos vtebantur, lebes æneus ampliſſimus, in quem oleo picéque feruentibus, plumbo ceráque liquentibus, aut conſimilibus refertum iidem iniiciebantur. legitur de eo ſæpiſſime in Actis ſanctorum martyrum, nominatim Sabæ à Rom. Martyrologio & Menologio deſcriptis VIII. Kal. Maij, Zenonis ab iiſdem libris III. Non. Septemb. Venerandæ virginis à Petro lib. 10. cap. 61. Præterea legitur quoque de lebete Machabæorum cap. 7. & in Ioſephi lib. de Machab. ad Polybium. Quod verò ad formam eius attinet, videtur nobis (vt alia miſſa faciamus) ſatis dilucidè innuiſſe eam Ouidius Metamorphoſ. 2. dum inquit:

FIGVRA SECVNDA C.

Forma lebetis qualis fuerit.

Vina dabant animos, & primâ pocula pugnâ
Miſſa volant, fragileſque cadi, curuique lebetes.

In ambobus hiſce inſtrumentis excruciati fuere quamplurimi Chriſti milites: in olla Bonifacius, Iuliana, Lucia, & Eraſmus: in lebete Zeno, Veneranda virgo, Saba, Marinus, Pantaleemon, Paulus, & Iuliana, Eulampius, Eulampia eius ſoror, & Zenobius, Zenobiáque fratres.

Acta SS Bonifacij, Iulianæ, atque Luciæ quæ ferãt, vide ſuprà, ſicuti etiam Zenonis, Sabæ & Venerandæ virginis. Eraſmi verò Acta Petrus deſcripſit lib. 5. cap. 75. Marini idem auctor lib. 2. c. 60. Pãtaleemonis vetera manuſcripta, & Surius ex Metaphraſte tom. 4. Pauli & Iulianæ idem tom. 4. Eulampij & Eulampiæ idem 5. Zenobij & Zenobiæ idem eod. tom.

De ſartagine martyrij inſtrumento.

MENTIO fit de ſartagine Machab. 2. cap. 7. & in quamplurimis ſanctorum martyrum Actis, nempe Eleutherij Epiſcopi à veteribus manuſcriptis, & à Metaphr. Lipom. 5. & Surij 2. relatis, cuiuſdam etiam martyris, cuius nomen ignoratur à Rom. Martyrolog. 5. Kal. Auguſti, & à S. Hieronymo in vita S. Pauli heremitarum nouæ legis auctoris ac magiſtri, in eius exordio. Item de eadem ſartagine in Actis Fauſtæ virginis, & Eulaſij à Metaphr. recitatis apud Aloyſium Lipoma-

num tom. 5. & Surium 1. & demum Iuſtinæ virginis ac Cypriani à veteribus manuſcriptis, & à Mombrit. tom. 2.

Erat ſartago (ſi huius vocis ſignificationi, prædictiſque SS. martyrum hiſtoriis fides eſt adhibenda) patella quædam ampla, quæ (vt martyrum acta teſtificantur) oleo, pice, reſina, ac ſulphure referta, igni applicabatur; cúmque ebullire, atque efferueſcere inciperet, iniiciebantur in eam vtriuſque ſexus Chriſtiani, qui conſtanter fortitérque in Chriſti fidei confeſſione perſtitiſſent, vt inſtar piſcium in oleum feruens coniectorum, torrerentur, ac ſuffrigerentur. Quocirca in S. Romani martyris hymno hæc à Prudentio de vno ex ſeptem fratribus Machabæis in ea cruciato ſcripta leguntur:

Martyres in ſartagine ſuffrigebantur vt piſces in eam iniecti.

Videbat ipſos apparatus funerum
Præſens ſuorum, nec mouebatur parens,
Lætata, quoties aut olino ſtridula
Sartago frixum torruiſſet puberem.

Sartaginis forma qualis.

Cæterùm, quod ad eius formam ſpectat, in ea nos ſumus opinione, vt credamus rotundam illam fuiſſe: nam (vt experientia ipſa docet, ipſéque pariter vſus oſtendit) ſingula vaſa, quibus vel ad elixandum, vel ſuffrigendum, aut ebulliendum vtimur, rotunda ſunt. nec profectò verti in dubium debet, vaſa, quæ nobis hodie vſui ſunt, ab antiquorum exemplaribus dimanaſſe, licèt illis ſint ea perfectiora: Siquidem (vt dixit vir ille) facile eſt inuentis addere. Præterea reperiuntur aliqua vaſa peruetuſtiſſima, quæ integra in hunc diem & permanſerunt, & adhuc permanent, quæ non habent formam aliam à noſtris. cuius rei fidem faciunt ollæ, vrcei, & alia huiuſmodi, quæ ex ruinis Vrbis aliquando eruuntur. Inuiſitur vnum horum in hunc vſque diem in Eccleſia S. Laurentij extra mœnia, illud nimirum, quo fortiſſimus Chriſti athleta Laurentius militem quemdam Imperatoris, Romanum nomine, baptizauit. Cùm igitur vaſa, quibus nos vtimur, à vaſis priſcorum dimanauerint, & hæc noſtris ſimillima valde fuerint; conſequitur ex his, ſartaginem, de qua hîc loquimur, circularis figuræ extitiſſe. Ampliùs antiqui ſcriptores in ſuis vaſis deſcribendis vſi ſunt verbis quæ hoc idem omnino oſtendunt, vt patet ex Ouid. loco citato. Sartago igitur apud veteres circularis extitit figuræ.

Vrceus quo ſanctus Laurentius baptizauit Romanum militem, eſt hic in Vrbe.

Digitized by Google

Modus quo martyres in ſartagine torquebantur.

Figvra prima B.

Dvpliciter Chriſtiani in ſartagine torrebantur: non-numquam enim toto corpore, vultu ad cælum verſo, in eam coniiciebantur; & tunc, quia aliqua debet eſſe proportio inter inſtrumentum excruciandi, & hominem in eo excruciatum, dicerem fuiſſe iniectos in ſartaginem, q æ magis ad oui ſimilitudinem, quàm ad perfecti circuli formam acceſſiſſet: nonnumquam verò (veluti S. Euphemiæ Acta atteſtantur à Petro lib. 8. cap. 84. relata) non toto corpore, ſed per membra ſingula; quamobrem hæc ibi litteris conſignata habentur: *Mandauit Priſcus Proconſul eam*, id eſt ſanctam virginem, *ſerris membratim diuidi, & in ſartagine diuiſa membra torreri*, &c. Porro fuiſſe hanc ſartaginem, ſicuti noſtræ ſunt, figuræ circularis, quia probabile alicui fortè videri poſſet, vt probabile aſſeramus.

Furcæ ferreæ in Sanctorum carnificina.

Ad hæc notabit lector, ſanctos martyres, dum in ſartagine torrebantur, furcis quibuſdam ferreis ibidem compreſſos fuiſſe: par enim atque vna ratio eſſe cratis ferreæ videtur, atque ſartaginis; nam & in hac, & in illa Chriſtiani adurebantur. Sicuti igitur qui in craticula aſſabantur, furcis in ea ferreis (vt ſancti Laurentij Acta inquiunt) coarctari à carnificibus ſolebant; ſic qui in ſartagine cruciabantur, iiſdem compreſſos fuiſſe, affirmare eſt opus.

Eulaſij Acta, Fauſtæ, Cypriani, atque Iuſtinæ qui referant, vide ſup. Cononis Acta Petrus lib. 1. c. 61. Marini idem Petrus lib. 2. c. 6. Eleutherij Lipom. 5. & Sur. 2. ex Metaphr. Mombritius tom. 1. & Martyrolog. Roman. XIV. Kal. Maij.

Porro in hoc vaſis genere martyrio affecti leguntut Eulaſius, Cyprianus, Fauſta, atque Iuſtina virgines, Conon, & filius eius infantulus, cuius nomen adhuc ignoratur, item Marinus, Eleutherius, aliíque permulti.

De craticula, lectoque ferreo.

Aſſabantur martyrum carnes.

Viſis inſtrumentis, quibus Chriſtiani vel elixabantur, vel ſuffrigebantur; ſupereſt modò, vt ad illa quoque ſeſe noſtra conuertat oratio, quibus eorum carnes à Gentilibus aſſari ſolebant: fuerunt autem hæc, craticula, & lectus ferreus, quorum vtrorumque crebra in ſanctorum martyrum Actis habetur mentio. Craticulæ in rebus geſtis plurimorum Sanctorum à Martyrolog. Rom. relatis 3. Id Aprilis, & ab Euſebio lib. 8. cap. 24. ſanctorum item Eleutherij, & Cononis, quorum paulò ſuperiùs meminimus, S. Dulæ à Rom.

Martyrolog. 17. Kal. Iulij, ſanctì Dorothei à Surio tom. 6. ſub S. Domnæ virginis inſcriptione, S. Laurentij à veteribus manuſcriptis, & à Surio tom. 4. ſanctorum Macedonij ac ſociorum à Rom. Martyrolog. pridie Id. Septembris.

Lecti verò ferrei in Actis pariter S. Eleutherij fit mentio, & præterea in illis quoque beatiſſimorum Clementis Ancyrani, & Agathangeli à Metaphr. recitatis Surij 1. Platonis ab eodem auctore Lipomani 5. & Surij 4. & aliorum. Iam verò ad cratem ferream reuertentes, dicimus fuiſſe eam, ſicuti vox ipſa ſignificat, prædictæque Sanctorum hiſtoriæ, & craticula illa indicat, in qua ſanctiſſimus Chriſti confeſſor Laurentius aſſatus fuit, religioſè aſſeruata partim in baſilica S. Laurentij in Lucina, & partim in Paneperna. Erat, inquam, ea tribus ferreis coſtis per longum ad palmum inter ſe diſtantibus fabricata, vnius digiti craſſitudinis, duorum latitudinis, & longitudinis congruentis, cum ſeptem vel pluribus fruſtis ferreis per obliquum poſitis, & à ſeipſis palmi medietate diſiunctis; quorum aliqua rotunda erant, aliqua verò quadrata, illa nimirum duo, quæ coſtis per longum ductis ad craticulam conſtruendam firmandámque coniungebantur. inerant præterea in eiuſdem angulis, atque in medio fruſtula quædam ſimilirer ferrea eleuata paululùm è terra, à quibus, quaſi pedibus quibuſdam, machinula illa ſuſtentaretur.

Figvra tertia A.

Cratis ferrea, in qua aſſatus fuit S. Laurentius, ſeruatur hic in Vrbe.

Cratis ferrea quomodo conſtructa.

Non credimus ſingulas craticulas tribus dumtaxat coſtis per longum ductis fabricatas fuiſſe, ſed aliquas tantùm: nam in Actis S. Laurentij, & præcipuè manuſcriptis, legimus, iuſſiſſe Imperatorem afferri cratem ferream trium coſtarum ad eumdem ſanctum virum comburendum: conſtat igitur extitiſſe eas apud antiquos & trium & plurium coſtarum.

Qui martyres in craticula cremati fuerint.

Crvciati preſſique fuere in craticula, igne ſuppoſito, furcis quibuſdam ferreis Laurentius, Dulas, Eleutherius, Conon, Dorotheus Macedonius, Theodolus, Tatianus, & Petrus, de quo Rom. in Martyrologio hæc IV. Id. Martij narrantur: *Nicomediæ paſſio B. Petri martyris, qui cùm eſſet cubicularius Diocletiani Imperatoris, & libertiùs de immenſis martyrum ſupplicijs quereretur, iubente eodem, in medium adducitur, ac primò ſuſpenſus diutiſſimè flagris torquetur, deinde aceto ac ſale perfuſus,*

Vide quæ ſuprà in ſartagine ſcripſimus.

Quiſnam referat Acta SS Laurentij & aliorum, vide, ſi vis, paulò ſuperius.

Petri Nicomedienſis martyriū.

ſuſus, ad vltimum in craticula lento igne aſſatur, ſicque verè Petri extitit & fidei heres, & nominis. hucuſque Martyrologium.

De hoc eodem Petro plura ſcribuntur in Actis glorioſiſſimorum Chriſti militum Dorothei & Gorgonij antiquis manuſcriptis codicibus contentis, quæ nos breui tempore, vnà cum innumeris rebus geſtis aliorum vtriuſque ſexus Sanctorum numquam in lucem editis, imprimenda, Deo dante, curabimus, ſeptimo Surij tomo octauum, nonum, & decimum fortè addentes: quo peracto, ſi adhuc in vita commorabimur, in ſingulas Sanctorum vitas hactenus editas ſcholia elaborabimus, quibus, quid in eis veri certique, quid item ambigui, quidve falſi reperiatur, quantum in nobis erit, aperire conabimur.

Et de craticula iam ſatis; à qua diſtinctum profectò erat illud inſtrumenti genus, quod in ſanctorum martyrum Actis, lectus ferreus, appellatum inuenitur. Nam in hiſtoria ſancti Eleutherij Epiſcopi (cuius paulò antè fecimus mentionem) legimus Tyrannum, qui eum tormentis affici iubebat, decreuiſſe, eumdem ſanctum virum iuſſu ipſius in lecto ferreo iam cruciatum, deponi ex eo, & torreri in craticula ferrea. Quamobrem diſtinctus indubiè erat lectus ferreus à craticula. Ceterùm, vt lectori magis ſatisfaciamus, placet nobis verba hiſtoriæ in medium afferre; quæ quidem ſunt hæc: *Tunc fremens Hadrianus afferri iuſſit lectum æreum, & ſuperpoſitum virum per quatuor partes extendi in eo præcepit, quo eius tenera membra diſſiparentur: ignis verò ſubtus erat poſitus.* ac paulò infrà: *Et cùm tranſiſſet hora, exiſtimans Imperator eum mortuum, ſolui præcepit. Qui extendens manus ſuas, dicebat Romanis: Magnus eſt Chriſtianorum Dominus, quem beatiſſimi viri Petrus & Paulus nobis prædicauerunt, qui multa ſigna & virtutes in hac vrbe fecerunt, & Simonem illum magum glorificantem, demonéſque colentem, quos & Hadrianus, eliſerunt ad terram. Tunc Hadrianus iuſſit craticulam oleo perunctam afferri, & ignem ſupponi præcepit,* & cetera quæ ſequuntur. hæc Acta Eleutherij; quibus apertè inſtruimur, diuerſam fuiſſe à ſtrato ferreo craticulam. Confirmant hoc idem quæ de eodem ſancto viro litteris conſignata inueniuntur Romano in Martyrologio 14. Kal. Maij his verbis: *Meſſanæ natalis ſanctorum martyrum Eleutherij Epiſcopi Illyrici, & Anthiæ matris eius; qui cùm eſſent vitæ ſanctimoniâ, & miraculorum virtute illuſtres, ſub Hadriano lectum ferreum ignitum, crati-*

FIGVRA PRIMA C.
Lectus ferreus diuerſus à craticula.

Sic legimus in Actis eius manuſcriptis noſtræ bibliothecæ, quæ percurrimus. Eleutherij martyrium.

T

culam, & ſartaginem oleo, pice, ac reſina feruentem ſuperantes. & quæ ſequuntur. Erat igitur craticula à lecto ferreo diſtincta: qui quidem lectus (vt martyrum Acta teſtificantur) veri ſtrati inſtar, & longus, & paulisper eleuatus è terra, ad ignem ſubminiſtrandum, fiebat, cum nonnullis ferri fruſtis per obliquum ductis, quaſi tabularum loco, paululùm inter ſe diſtantibus.

Lectulus ferreus quomodo conſtructus.

S. Olympiadis & Maximi Acta Petrus refert lib. 4. c. 53. SS. Acindini & ſociorum Surius tom. 6. ex Simeone Metaphr.

Supplicio affecti fuere in lecto ferreo glorioſiſſimi martyres Eleutherius, Clemens Ancyranus, Plato, Zenobij fratres, de quibus omnibus ſuprà locuti ſumus: item Olympiades, Maximus, Acindinus, Pegaſius, Auempodiſtus, Aſtonius, Elpidephorus, & alij multi, quorum & nomina & numerum ſolus Deus nouit.

De ſella, galea, tunica, aliiſque ferreis inſtrumentis ignitis.

De ſella ferrea. FIGVRA QVARTA A.

PRÆTER crates, lectóſque ferreos, vtebantur etiam Gentiles ad Chriſtianos afflictandos ſella ferrea ignita. indicant hoc Acta ſanctorum martyrum Pauli & Iulianæ à Metaphr. recitata Surij tom. 4. & Euſebius hiſtoriæ lib. 5. cap. 1. vel 3. B. Gregorius Nyſſenus in vita quam deſcripſit S. Gregorij Thaumaturgi, & demum res geſtæ B. Blaſij manuſcriptæ, in quibus hæc verba leguntur: *Iuſſit iterum Iudex ſeptem ſubſellia ænea afferri; & ita eas*, id eſt ſeptem mulieres, *quæ S. Blaſij martyris, dum torqueretur, guttas defluentis ſanguinis collegerant, per ſingula ſuperſedere præcepit. Quæ verò ſubſellia adeò ignita erant, vt ſcintillæ ex eis, veluti valde ſuccenſa fornace, micarent.* hucuſque Capituli S. Mariæ Maioris vetera manuſcripta.

De galea ignea. FIGVRA QVARTA B.

At veniamus modò ad galeas igneas, quibus etiam Chriſtiani cruciabantur: ſiquidem in more poſitum erat inſtitutóque Gentilium, vt his nonnumquam eorum capita contegerentur. cuius rei teſtimonium dant res geſtæ ſanctorum martyrum Clementis Ancyrani à Metaphr. relatæ Surij 1. & Iuſti militis à Menologio pridie Id. Iulij his verbis: *Certamen ſancti martyris Iuſti, qui fuit ex vrbe Roma, militans ſub Tribuno Claudio; reuertens verò aliquando à cæde Barbarorum, vidit crucem inſtar cryſtalli apparentem, & illinc exeuntem vocem audiuit, quâ diuinæ pietatis myſterio initiatus, Romam profectus, facultates ſuas pauperibus diſtribuit, Chriſti fide exultans. Quæ res cùm Tribuno innotuiſſet, & Chriſti martyr à propoſita confeſſione diſcedere nollet;*

S. Iuſti martyrium.

illum miſit ad Præſidem Magnentium: à quo interrogatus, cùm in Chriſtiana confeſſione conſtanter permaneret, iuſſus eſt crudis neruis verberari, poſtea ignita galea capite indui, & globos ferreos igne accenſos eius maxillis ſupponi; quæ omnia & alia huiuſmodi tormenta fortiter perferens beatus martyr, Deum celebrans, in caminum iniectus, ſpiritum tradidit, eius ſancto corpore integro permanente, ne pilo quidem læſo ab igne, in quem fuerat iniectus. hæc Menologium; à quo non differunt, quæ de eodem ſancto viro breui ſermone complexum eſt Romanum Martyrologium eodem loco, nempe pridie Idus Iulij. Et de galea ignea hactenus.


His ergo tam diris tormentis excruciatis martyribus, non idcirco Gentilium furor in Chriſti ſeruos remittebatur; imò eiuſdem impulſu fiebat, vt noua alia atque horribilia cruciatuum genera in dies ſingulos, ad eoſdem immaniter torquendos, excogitarent. hinc vel tunica ferrea candenti induebantur, vt de S. Eraſmo legitur; vel clauis igneis eorum ſacra tempora transfigebantur, veluti de Victorico & Fuſciano martyribus apud Mombritium tom. 1. ſcribitur; aut accenſis ferreis obeliſcis ſub alis vel lateribus torrebantur, ſicuti Taraco, ſociiſque eius contigit, de quibus vetera noſtræ bibliothecæ manuſcripta: vel denique æneis crepidis igneis induebantur, vt de S. Antymo Nicomediæ Epiſcopo narrat Nicephorus lib. 7. cap. 6. vel crepidis ferreis ignitis clauis confixis calceati, aliò incedere cogebantur. Quamobrem de S. Baſiliſco martyre huiuſmodi verba in Græcorum Menologio XI. Kal. Iunij ſcripta reperiuntur: *Die 22. ſancti martyris Baſiliſci ſub Maximiano Imperatore ex regione Amaſeæ. hic propter Chriſti confeſſionem detentus ab Agrippa Præſide, indutúſque ſæpe crepidas ferreas, ignitis clauis confixus, iuſſus eſt impelli per viam, quæ ducit ad Comanos. Cúmque in itinere veniſſent ad locum quemdam, vbi erat mulier nomine Troiana; ſanctum Baſiliſcum, vinctis poſt terga manibus, in platano arida ligarunt: quam ſanctus ille, miſsis ad Deum precibus, viridem reddidit, fontémque è terra ſubitò ſcaturire fecit: quod videntes milites cum muliere in Chriſtum crediderunt. Cùm verò ad vrbem Comanorum veniſſet, neque perſuaderi poſſet, vt ſacrificaret; Deum ipſum precatus, ignem è cælo demiſit, qui Apollinis templum & idolum combuſſit. Qua re accenſus Præſes, obtruncari iuſſit martyrem Baſiliſcum, & in flumen demergi: itaque martyrij coronam aſſecutus eſt, in laudem & gloriam Dei noſtri.* hactenus Menologium. Et hæc de his martyrij inſtrumentis.

FIGVRA QVARTA C.
Tunica ferrea candens.
Clauis igneis martyrum tempora transfodiebantur.
De obeliſcis ferreis accenſis.
De crepidis ferreis igneis.
S. Baſiliſci martyrium.

FIGVRA I.

A Martyr in crate ferrea torrebatur.
B Ferrum ad carbonum ignem ſuſcitandum.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA II.

A Martyr in ollam demittitur.
B Martyr in ſartagine.
C Martyr in lebetem liquenti plumbo oleóve feruenti plenum iniicitur.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA III.

A Martyris membra in ſartagine poſita.
B Martyr in taurum æneum coniectus.
C Martyr lecto ferreo impoſitus, & aſſatus.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA IV.

A Martyr tunica ferrea, crepidíſque candentibus indutus, & vſtulatus.

B Martyr in ſella ferrea ſedens, cuius capiti galea ignita imponitur.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPVT VIII.

De diuerſis aliis modis, quibus ſancti Chriſti martyres igne torquebantur.

DOCEBAT totos dies tenebrarum ille princeps, mendaciíque pater diabolus idololatras Imperatores, & eorum miniſtros, quomodo poſſent Chriſti famulos, præter iam dicta cruciatuum genera, aliis etiam atque aliis eoſdem excruciare. Quamobrem eueniebat, vt eorum aliqui per pauimentum carbonibus candentibus ſtratum nudis pedibus incedere compellerenrur; ex quorum numero Tiburtius Romanorum nobiliſſimus, & Pontianus extitere: alij verò vt in ignem ibidem conſumendi coniicerentur. ſic martyrij palmam adepti fuere Polycarpus, Theodora, Euphroſyna, Flauia Domitilla, Fructuoſus Epiſcopus, Augurius, Eulogius, Cyrion, Baſſanus, Agathon, Moyſes, Emilianus, Agapes, Chionia, Hirenes, Timon diaconus, Pulio, Antonia virgo, Chriſtes, & Caliſtes, aliàs Chriſtina, & Caliſta, Theophila nobiliſſima virgo, & viginti millia Chriſtianorum, de quibus Græci in Menologio quinto Kal. Ianuarij his verbis agunt: *Certamen ſanctorum viginti millium martyrum ſub Maximiano Imperatore apud Nicomediam combuſtorum.* hæc Menologium.

Præterea eiuſdem Satanæ inductu aliquando Chriſti fidelium corporibus, aut capitibus, vel intra ipſorum ora, aut aures accenſi carbones immittebantur; vel ſaltem in eadem membra, ſanctis viris nonnumquam lectis ferreis colligatis liquefactum plumbum, oleum candens, reſina feruens, cera, ſulphur, & ſimilia pariter liquentia infundebantur. Indicant apertiſſimè omnia hæc & ſingula res geſtæ ſanctorum martyrum quamplurimæ, nimirum Agapiti à Petro deſcripta lib. 7. cap. 74 Timothei, atque Apollinaris ab eodem lib. 7. cap. 9. Eraſmi à veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manu exaratis, Pelagij à Petro lib. 7. cap. 120. Ionæ & Barachiſij à Metaphr. apud Surium tom. 2. Victoris militis à Mombritio tom. 2. Felicis & Fortunati à Petro lib. 4. cap. 167. Primi ab eodem

FIGVRA PRIMA A.
Acta Tiburtij vetera MSS. ſub S. Sebaſtiani nomine. Pontiani Sur. t. 1. S. Polycarpi Acta refert Euſeb. l. 4. c. 14. & vetera manuſcripta. Theodora, Euphroſynæ, & Domitillæ nos in hiſt. noſtra SS. virg. Romanarum. Fructuoſi, Eulogij, & Augurij Martyrol. Rom. 12. Kal. Febr. & Prudentius periſtephan. hym. 4. Cyrionis, Agathonis, & Baſſiani, & Moyſis Petrus lib. 3. c. 124. Emiliani Martyrologium, & Menolog. 5. K. ..Au.. Sanctarum Agapis, Chioniæ & Hirenis Sur. t. 2. Timonis Petrus lib. 4. c. 66. Pulionis idem eodem lib. c. 94. Antoniæ Petrus eodem lib. ſimiliter 4. c. 123. SS. Chriſtes & Caliſtes vetera

lib. 4. cap. 151. Bonifacij à veteribus manuſcriptis, Claudij & ſociorum à Surio tom. 4. Tharaci à noſtræ bibliothecæ peruetuſtiſſimis codicibus, Dulæ à Surio tom. 3. Platonis à Metaphr. Surij 4. Agathangeli ab eodem Surij 1. ſub ſancti Clementis Ancyrani inſcriptione, Quintini à Surio tom. 5. Miniatis militis ab eodem tom. ſimiliter 5. & aliorum innumerabilium.

MSS. ſub. B. Dorotheæ virginis inſcriptione.

Theophilæ virginis Sur. tom. 6. ex Metaphr. vbi etiã de ſanctis viginti millibus.

FIGVRA PRIMA B.

His itaque cruciamentis in Chriſtianos olim adhibitis non contentus dæmon, fuit in cauſa, vt Chriſti martyres in acutiſſimis teſtulis, atque carbonibus ardentibus, veſtibus nudati, non ſine maximo eorum dolore iterum ac ſæpius volutarentur, vel vt carbones ardentes cum thure ſuper manum poſitos tenere ante idolorum aras diu impellerentur; vt ſi fortè eueniſſet eos excuſſiſſe prunas, thus falſis Gentium diis obtuliſſe viderentur. Primi cruciatus generis fidem faciunt Acta ſanctorum Firmi & Ruſtici à Petro recitata lib. 2 cap. 42. Agathæ à veteribus manuſcriptis, & à Surio tom. 2. & Macræ virginis à Petro lib. 2. cap. 50. Alterius verò generis teſtimonium dant res geſtæ Procopij martyris à Metaphr. apud Surium tom. 4. relatæ, & B. Cyrillæ virginis à Menologio 3. Nonas Iulij his verbis: *Commemoratio ſanctæ martyris Cyrillæ. hæc ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, ex vrbe Cyrena, quæ eſt in Libya, cùm accuſata eſſet apud Dignianum Præſidem, aſtitit cum Lucia & Roa deuotis mulieribus: cúmque perſuaderi non poſſet, vt idolis immolaret, in eius ipſius manus iniectis carbonibus, & thure, cogebatur ſacrificare. Illa verò clamans, Non eſt, inquit, hoc inuoluntariè factum, ſacrificium offerre. Combuſtis autem digitis, ſuſpenſa laniata eſt: mox de ligno detracta, ex plagis quidem ſanguis, ex mammis verò lac inſtar torrentis deflucbat, & ſic beata martyr ſpiritum Deo tradidit* hæc Menolog.

De martyribus ſuper acutiſſimis teſtulis atque ardentibus carbonibus volutatis.

FIGVRA PRIMA C.

In manibus SS. martyrum ponebatur aliquando ignis cum thure.

S. Cyrillæ martyrium.

Vnum hîc velim, lector, ſcias, conſueuiſſe Iulianum Apoſtatam Chriſtianos milites decipere, dona illis pollicendo, ſi thus Imperatoriæ largitionis die ad ignem adoleuiſſent. huius rei teſtem habemus B. Gregorium Nazianzenum inuectiua prima in dictum Imperatorem ita ſcribentem: *Imperatoriæ largitionis dies aderat, ſiue anniuerſarius* (Iuliani Apoſtatæ ſcilicet) *ſiue tunc ab Imperatore pro ſua improbitate ac verſutia ex tempore ita inſtitutus; atque adeſſe milites oportebat, vt pro ſuo quiſque gradu & dignitate donatiuum acciperent. Rurſus illiberalitatis ſcena; rurſus impietatis fabula. Etenim benignitate quadam crudelitatem*

Vetus mos Imperatorum.

Impia Iuliani calliditas.

condire ſtudet, militúmque vecordiam, & auaritiam, quas magna ex parte vitæ comites habent, pecuniis allicere, atque ineſcare. Ille igitur ſplendidus præſidebat, ſplendidè aduersùs pietatem feſtum diem agens, atque ob aſtuta ſua conſilia magnopere animo elatus. Melampum quemdam, aut Proteum ſuſpicari poſſes: ita in omnia vertebatur, faciléque ſeipſum in diuerſas formas immutabat. Quæ autem circa ipſum erant, qualia tandem, quantíſque luctibus & querelis apud cordatos homines digna, non iis ſolùm, qui tum affuere, ſed iis etiam, qui nunc ſpectaculum illud auribus vſurpant? Proponebatur aurum, proponebatur thus: in propinquo erat ignis, hortatores ad latus. Porro quàm plauſibilis ſpecies, vt Imperatoriæ largitionis hic mos eſſe videretur, antiquioris vtique & præſtantioris. Quid deinde? thus incendere oportebat, atque ita exitij mercedem ab Imperatore accipere tantillam tantæ rei, hoc eſt, ipſarum animarum, impietatíſque aduersùs Deum. O miſerum quæſtum! ô miſeram mercedem! Exercitus totus vnica techna & fraude venalis proſtabat; & qui vniuerſum orbem terrarum armis ſubegerant, paruo igne, atque auro, ac per exiguum ſuffitum corruebant, magna ex parte ne ſuam quidem necem (quod omnium grauiſſimum erat) agnoſcentes. Aderat quiſpiam vt lucrum facturus: at poſt lucrum, ne ſeipſum quidem habebat. Dexteram Imperatoris adorabat, nec ſe carnificem ſuum adorare notat. Quod ſi qui etiam id agnoſcerent, nihil tamen propterea hinc ipſis accedebat, quippe malo ſemel occupatis, ac primam ſtoliditatem pro eiuſmodi lege, quam infringi nefas eſſet, ducentibus. Quæ Perſarum myriades, qui ſagittarij, qui fundibularij, quis ferreus exercitus, atque vndequaque à vulneribus tutus, quæ tormenta diruendis muris admota, ea efficere potuiſſent, quæ manus vna, & tempus vnum, & nefarium conſilium perfecit?

Militum deceptorum miſeria.

Pulchra narratio.

Hîc narratiunculam quamdam admiſcebo, ſuperioribus triſtiorem, & miſerabiliorem. Ferunt quoſdam eorum, qui per ignorationem capti ac circumuenti fuerant, poſtquam contracta hac calamitate domum ſe recepiſſent, vnà cum contubernalibus ſuis ad menſam accubuiſſe: deinde cùm conuiuium ad conſuetam frigidæ potationem proceſſiſſet, non ſecus ac ſi nihil grauius ipſis accidiſſet, ad aquæ poculum ſublatis in altum oculis Chriſtum cum Crucis ſigno appellaſſe. Cùm contubernalium quidam id miratus fuiſſet, dixiſſétque, Quidnam eſt hoc? Chriſtum poſt abiurationem inuocatis? illos ſtatim his verbis examinatos dixiſſe: Quo tandem modo abiurauimus? & quinam hic nouus ſermo eſt? Hunc verò reſpondiſſe: Quoniam ad ignem thus adoleuiſtis: quod idem omnino eſt, ac Chriſtum abnegare.

Militũ quorumdam zelus, & fortitudo.

Tum verò illos, nullâ interpoſitâ morâ, è conuiuio exilientes, velut furioſos & mente captos, ac zelo & iracundia æſtuantes, per forum cucurriſſe, atque in hac verba exclamaſſe: Chriſtiani, Chriſtiani animo ſumus: audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & viuimus, & moriemur. Fidem tibi datam, Chriſte Saluator, non fregimus: beatam confeſsionem non abiurauimus. Si quid manus peccauit, mens certè minimè ſecuta eſt. Imperatoris fraude circumuenti, non auro ſauciati ſumus. Impietatem exuimus, per cruorem purgamur. Poſteàque ad Imperatorem celeriter profectos, atque aurum forti ac ſtrenuo animo proiicientes, ad hunc modum exclamaſſe: Non dona accepimus, Imperator, ſed morte damnati ſumus. Non honoris causâ vocati, ſed ignominiâ notati ſumus. Da hoc beneficium militibus tuis: Chriſto nos macta, atque obtrunca, cuius vnius imperio ſubiicimur. Ignem igne repende: pro cinere illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas ſcelera'è porreximus; pedes, quibus malè cucurrimus. Alios auro dona, quos accepiſſe poſtea non pœniteat: nobis ſatis ſupérque eſt Chriſtus, quem inſtar omnium habemus. Quam cùm orationem habuiſſent, ſimúlque alios hortarentur, vt fraudem intelligerent, atque ab hac temulentia ſe colligerent, Chriſtóque ſanguine ſuo ſatisfacerent: tum verò Imperatorem irâ incenſum, apertè quidem illos interficere noluiſſe, ne martyres efficerentur, qui, quantum in ipſis erat, martyres erant; exilio tamen mulctaſſe, ac pœna ea contemptum ſui vindicaſſe, maximóque eos beneficio affeciſſe, quos à piaculis ſuis, verſutiſque conſiliis procul remouiſſet. hæc beatiſſimus Nazianzenus; quibus ſine dubitatione vlla docemur, fortiſſimos Chriſti athletas neque contumeliis neque fraudibus iniquiſſimi Imperatoris è gradu pietatis deiici potuiſſe, imò conſtantiore animo ex hoc ad mortem pro Chriſto perferendam effectos fuiſſe. quocirca inanis ea Iuliani cogitatio, irritúſque pariter conatus ad eos à Chriſti fide auertendos extitit.

Militum ad Iulianum oratio.

Milites exilio mulctantur.

Duo alij modi conſimiles, quibus Gentiles decipere poſſe Chriſtianos arbitrabantur.

NARRAT Euſebius hiſtoriæ lib. 8. cap. 3. fuiſſe nonnumquam Chriſtianos, Diocletiano imperante, vi in ſacrificantium numerum, vt idolis immolaſſe viderentur, relatos; ſic namque ait: *Ex ceteris autem quiſque varia tormentorum genera alternis ſubiit; hic plagis toto corpore dilaceratus; ille excruciatus*

Varij Chriſtianorum cruciatus & contumeliæ.

Eadem habet Nicephorus lib. 7. cap. 4.

diſtorſione membrorum; alius acutis & intolerabilibus nouaculis dilaniatus. Inter quos nonnulli erant, qui vix ſatis honeſtum vitæ exitum conſecuti ſunt; alij item, qui ſine fructu certamen decurrerunt. Nam vt vnus infidelium violentiâ contruſus, & ad ſacrificia illa nefaria impuráque deductus, quamuis non immolaret, tamen perinde atque ſi immolaſſet, liberè dimiſſus eſt: ſic alter, quamquam non omnino appropinquauerat, neque quicquam attigerat impuri; Gentilibus tamen eum ſacrificaſſe affirmantibus, tacitus eorum tulit contumeliam, séque inde proripuit. Alius ſemiuiuus ſublatus, velut iam mortuus proiicitur. Quidam proſtratus humi, inque numerum ſacrificantium relatus, longinquo ſpatio pedibus abſtrahitur. Alius vociferatus eſt & magna voce conteſtatus, ſe hoſtias penitus repudiare. Alius ſalutaris Chriſti appellationis confeſſione geſtiens, ſe Chriſtianum eſſe clamauit. Alter neque immolaſſe, neque aliquando ſe immolaturum, aſſeueranter affirmauit. Attamen iſti etiam frequentibus ſatellitum ad eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad ſilendum compulſi, in vultum quoque & genas percuſſi, vi è medio extruſi fuerunt, ita pietatis hoſtes omnino vel videri effeciſſe, quod animo intendebant, permagni æſtimarunt. hactenus Euſebius.

Chriſtiani cogebantur immolatas carnes edere, & ſacrificiorum vinũ deguſtare.

Ampliùs ad idem quoque oſtentandum vſui habebant iidem Satanæ miniſtri immolatas carnes vi in os Chriſtianorum immittere, vinúmque ſacrificij ibidem, ipſis pariter inuitis, infundere. Quamobrem in Actis ſanctorum martyrum Tharaci, Probi, atque Andronici Proconſularibus, quæ manu exarata habemus, huiuſmodi verba hominum memoriæ ſempiternæ traduntur: *Poſt hæc præcepit Præſes afferri carnes immolatas, & vinum ſacrificij, & ait: Infundite illi vinum, & carnes de ara mittite in os eius. Cúmque hæc agerentur, dixit Probus: Videat Dominus, & aſpiciat de altiſſimis ſedibus ſuis vim, & iudicet iudicium meum. Præſes dixit: Multa ſuſtinuiſti, miſer, & ecce iam ſacrificium accepiſti. Probus dixit: Nihil magnum feciſti, vim faciens: Dominus ſcit voluntatem meam. Præſes dixit: Et manducaſti, & bibiſti. Probus dixit: Scit Dominus & vidit vim, quam patior.* & paulò pòſt de B. Andronico hæc ſubduntur. *Præſes dixit: Aperite os eius, & mittite carnes de ara, & vinum infundite. Dum hæc agerentur, Andronicus dixit: Domine, Domine, vim patior. Præſes dixit: Vſquequo ſuſtines poſitus in pœnis? Ecce guſtaſti de ſacrificio. Andronicus dixit: Peccant omnes, qui colunt idola, tu, & Principes tui.* hucuſque Acta.

Sed

Sed eò iam, vnde huc, longiùs quàm voluntas fuit, digreſſi ſumus, reuertamur, aggrediamúrque ad alia, quæ ſuperſunt, explicanda, nempe ad modos, quibus olim ſancti martyres igni tradebantur, qui quidem varij diuerſique fuerunt. Quandoque enim ſtipitibus erectis affixi, circum ipſos ignis accendebatur, vel ad quatuor palos ſubiecto igne extendebantur: quandoque vel in fornaces ardentes, ardentémque rogum, aut in foſſas prunis plenas iniiciebantur, vel ſaltem in cupas immittebantur: nonnumquam verò cubiculis, templis, balneiſque, in quibus Gentium iuſſu incluſi ſtabant, incendio inflammatis abſumebantur; vel lineis funibus oleo perfuſis ligati, ſulphure, & reſina conſperſi, aut pedibus lino in oleum intincto incenſóque obuolutis, vel tandem in nauiculas pice & ſtupa refertas, vt in mari comburerentur, immiſſo igne, impoſiti, impollutum immaculatúmque ſpiritum Deo omnium creatori & effectori feliciter fauſtéque reddebant.

FIGVRA SECVNDA

Variis modis igni martyres tradebantur.

Teſtes ſunt horum omnium Acta martyrum: primi * res geſtæ ſanctorum Polycarpi ab Euſebio recitatæ lib. 4. cap. 14. & à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis; Tharaci à Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Alterius * modi teſtes item ſunt Acta S. Anaſtaſiæ virginis & martyris Romanæ à nobis in hiſtoria noſtra Sanctarum Virginum Romanarum. Tertij * autem generis, quarti, quinti, ac ſexti, Acta beatorum Emiliani, de quibus nuper facta eſt mentio, Fidei, Spei, & Charitatis ſororum ac virginum à Mombritio tom. 2. & à peruetuſto quodam noſtræ bibliothecæ libello manu exarato, S. Agnetis virginis à nobis in hiſtoria SS Virginum Romanarum; Apolloniæ ſimiliter virginis ab Euſebio hiſt. lib. 6. c. 3 Paphnutij à Metaphr. apud Surium tom 2. & S. Dorotheæ virginis à veteribus manuſcriptis; in quibus de Chriſte & Caliſte ſororibus, B virginis Dorotheæ opera ad cultum Chriſtianæ religionis, à quo defecerant, reductis, hæc verba narrantur: *Miſit Præſes nuncium ad Chriſtem, & Caliſtem, iubens eas cum Dorothea venire ad ſe: quas cùm tuliſſet in partem, cæpit ab eis inquirere, num Dorotheæ animum permouiſſent. At illæ vno ore reſponderunt: Errauimus, & ſatis iniquè egimus, dum timentes pœnas & dolores momentaneos, ſacrificauimus idolis vanis, & ideo rogauimus eam, & dedit nobis pœnitentiam, vt poſſimus ad Chriſti indulgentiam peruenire. Tunc Sapritius (ſic enim vocabatur*

* Martyres ſtipitibus erectis affixi igne cremabantur

*Martyres quandoque cremabãtur quatuor palis illigati.

* Martyres nonnumquam in fornaces ardentes, ardentémque rogum, aut in foſſas carbonibus accenſis plenas, vel in cupas, vt vrerentur, immittebantur.

Præſes) ſcidit veſtimenta ſua, & cum furore nimio iuſſit, vt dorſis inter ſe colligata mitterentur in capam ſi ſacrificare nollent. & cetera quæ ibi ſequuntur.

Septimi verò generis fidem faciunt acta SS. Domnæ ac Theophilæ virginum à Metaphr. apud Surium tom. 9. deſcripta, & ſanctarum Romanarum ſimiliter virginum, Flauiæ Domitillæ, Theodoræ, Euphroſynæ, & Cæciliæ recitata à nobis in hiſtoria noſtra Sanctarum virginum Romanarum.

Quid ſit calore balnei torreri.

QVONIAM in B. Cæciliæ rebus geſtis legimus, fuiſſe eam in calore balnei ſui incluſam; ideo ſcire oportet, habuiſſe veteres hanc conſuetudinem, vt noxios & reos homines, vel Chriſtianos in balneis quandoque necarent: ſiquidem recludere eos nonnumquam ſolebant in prima balneorum camera, quæ Laconicum, vel ſudatorium appellabatur; vt ibidem nimio calore ſuffocati, vitam cum morte commutarent. Thermæ enim quatuor conſtabant cameris; quarum prima, cuius vſus erat ad excitandos ſudores, ſudatorium, vel Laconicum, aut calidarium, quo largè ſudor emitteretur, nominabatur; aliæ verò calidarium, tepidarium, ac frigidarium.

Thermæ quot cameris conſtarent.

In Laconico noxij aliquando vitâ priuabantur.

In prima, nempe Laconico (vt iam innuimus) SS. martyres quandoque vitâ priuabantur. quocirca in rebus geſtis ſanctæ Cæciliæ virginis huiuſmodi verba comperies: *Tunc valde iratus Almachius Iudex, iuſſit eam*, id eſt Cæciliam, *reduci in domum ſuam, & illic balnei calore conſumi. Cùm autem eſſet in aëre calido balnei ſui incluſa, & ſubtus tota die ac nocte magna vis lignorum adhiberetur; illic illæſa, tamquam in frigidario locata, permanſit, ſaluáque Domini gratiâ, adeò vt nulla pars omnino ex eius membris fuerit vel in minimo ſudoris ſigno humefacta.* hæc ibi: quibus inſtruimur, in Laconico, qui in balneis necabantur, fuiſſe incluſos: nam Galen. lib. 10. methodi, de Laconico ſcribens: *Ingredientes*, inquit, *in aëre verſantur calido, hoc eſt in Laconico: deinde in aquam calidam deſcendunt.* hucuſque ille. Monemur præterea eiuſdem ſanctæ virginis Actis, tunc Laconicum ad inferendam reis necem fuiſſe accommodatum, cùm clauſi in eo viri, vel mulieres, magna continuò lignorum ardentium vi ſubtus huiuſmodi cameram adhibita, detinerentur.

Porro ſi alia de balneis deſideras, lege Zoſimum lib. 2. Vitruuium lib. 5. cap. 10. Celſum lib. 1. cap. 4. Aulum Gellium lib. 10. cap. 3. Galenum loco citato, & ex recentioribus Andream Baccium lib. 7. de balneis cap. 1. & ſequentibus.

Ceterùm proſequamur nunc alios modos, quibus etiam Chriſtiani à Gentilibus igne cremabantur, nimirum octauum, nonum, ac decimum, quorum omnium fideliſſimi teſtes ſunt Acta Sanctorum: poſtremi ſanctæ Reſtitutæ virginis ac martyris res geſtæ à Rom. Martyrologio deſcriptæ 16. Kal. Iunij: octaui verò, & noni, paſſiones Amphiani & Vrſicij: illius à Martyrologio quarto Non. Aprilis his verbis: *Cæſareæ in Palæſtina natalis ſancti Amphiani martyris, qui in perſecutione Maximini, cùm Vrbanum Præſidem idolis immolantem arguiſſet, ſæuè dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, eóque incenſo obuolutis, acerbiſſimè cruciatus, demum in mare demerſus, tranſiens per ignem & aquam, eductus eſt in refrigerium.* Alterius, hoc eſt, Vrſicij à Menologio 9. Kal. Septemb. ſic: *Commemoratio ſancti martyris Vrſicij, qui ſub Maximiano Imperatore ex vrbe Sibento, vrbe exiſtente ſupra Illyricos, delatus apud Imperatorem, traditus eſt Ariſtidi Præſidi; cúmque in confeſſione ſtabili conſtanter permaneret, neruis boum verberatur vehementer, poſtea lineis funibus oleo perfuſis inuolutus, ſulphure & reſina conſperſus, ſuccenſus eſt: poſtremò latâ ſententiâ ſanctus vir Vrſicius a Valente delatore ſtricto gladio interfectus eſt. Itaque martyrio functus, à fidele quadam muliere, Simplicia nomine, ſepulturæ traditus eſt.* Scribit de hoc eodem ſancto viro Martyrologium Romanum loco nuper citato: de altero verò, id eſt, de Amphiano, Euſebius lib. 8. c. 14. & 15. & Surius tom. 2.

Amphiani martyrium.

Vrſicij martyrium.

De tunica moleſta martyrij inſtrumento.

SIMILIA valde ſunt, niſi eadem dicere velimus, hæc cruciatuum genera, quibus glorioſiſſimi Amphianus & Vrſicius affecti fuerunt, ſupplicio illi acerbiſſimo, quod veteres tunicam moleſtam nuncuparunt, quæ ignium alimentis illita & intexta (vt Seneca epiſt. 14. teſtatum reliquit) ac mox ſuccenſa, dirè obuolutos noxios, qui ſceleris grauioris comperti forent, incendio abſumebat. Meminit huius cruciamenti Tertullianus lib. 6. ad martyres, & Cælius lib. 10. cap. 5.

Tunica moleſta quid ſit.

Digitized by Google

Tormento huic ſimili ab hæreticis cruciatus fuit Domitius Hurleus, vt teſtatur Theatrum crudelitatum hæreticorum noſtri temporis; qui à Gregorio Pont. eius nominis XIII. ob pietatis virtutiſque ſingularis præſtantiam, Archiepiſcopus Caſſelienſis, in Hibernia naturali patria, creatus erat. Siquidem accuſatus, quòd Confirmationis ſacramento infantes aliquos muniuiſſet, comprehenſus eſt; & quia fidei Catholicæ renunciare noluit, furore hæreticorum quæſtionibus ſubiectus fuit: ocreæ enim oleo plenæ illius pedibus iniectæ fuerunt, & ligatus deinde in ſella lignea, vt moueri non poſſet, ingentem ante focum collocatus fuit: ſicque vi flammæ ocreis aduſtis, tibiæ ſimul concrematæ fuerunt; adeò vt euellentes tum inde hæretici ocreas, ad genua vſque carnem auulſerint, relictis ſolis oſſibus nudis. Poſt hæc quodam mane, hora circiter tertia aut quarta, vimineo conſtrictus laqueo, quo langueret diutiùs, ſuſpenſus fuit, & ſic ad cælum martyrij coronâ laureatus euolauit.

Ceterùm quia tunicæ moleſtæ occaſione, de Catholicis ab hæreticis noſtri temporis igne diuexatis habitus eſt ſermo; ob id, ne videamur potiſſimùm antiquos martyres Orthodoxos prætermittere, qui ab antiquioribus hæreticis ſub Conſtantio, Valente, Leone Iſaurico, & Conſtantino Copronymo impiiſſimis Imperatoribus, & ſub Wandalis Arianis ignis ſupplicio variè affecti fuere; aliqua ex SS. Patribus, aut ex eorum ſaltem rebus geſtis in medium adducemus. Et primùm de Catholicis ſub Conſtantio igne excruciatis hæc Athanaſius ad ſolitarios: *Omnéſque eos*, id eſt Orthodoxis infeſtos Arianos, *vt carnifices, vt maleficos, vt latrones auerſati ſunt: quippe qui & monaſteria euerterint, & ignes iniecerint ad monachos comburendos, domóſque diripuerint.* & in Apologia *: *Virgines enim ignibus flammantis rogi admotas adigebat ad confeſſionem Arianæ religionis.* hucuſque Athanaſius. Ampliùs de Catholicis ſub Valente hæc Theodoretus hiſtoriæ lib. 4. cap. 22. *Conſtantinopoli autem Ariani nauem piis presbyteris refertam, ſine armamentariis in altum propellunt. Deinde quibuſdam ſuæ ſectæ fautoribus in aliud nauigium impoſitis, mandatum dant, vt nauem presbyteris refertam incendant. Qua re confecta, presbyteri cum igne & mari pauliſper conflictantes, tandem in profundum demerguntur: coronámque martyrij recipiunt.* hæc ille. His ſimilia videre poteris in Sozomeno lib. 6. c. 14. & Socrate lib. 4. c. 13. Præterea

* De fuga ſua.

Nauis presbyteris Catholicis referta ab Arianis incenſa periit.

de Catholicis ſub Wandalorum perſecutione hæc Victor lib. 3. *Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus concremabant.* & eodem lib. in ſanctorum Liberati & ſociorum paſſione: *Hoc autem*, inquit, *Tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accenſus, iubet eos adhuc inauditis ſuppliciis adigi, & maioribus vinculis onerari, nauímque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis, in medio pelago igne ſuppoſito, concremari*, &c.

Poſtremò de Orthodoxis ſub Leone, aut Conſtantino Copronymo, ſic Romanum Martyrologium IV. Kal. Septemb. *SS. Hypatij, & Andreæ presbyteri, qui ob cultum ſacrarum imaginum à Leone, barba pice illita & incenſa, & cute capitis extracta, iugulati ſunt.* Idem in S. Stephano Iuniore, IV. Kal. Decembris, qui eodem ſupplicio ſub Copronymo affectus fuiſſe dicitur. habentur huius ſancti viri Acta in fine operum B. Damaſceni, & in Surio tom. 7. Et hæc de his. De barba pice illita, & incenſa.

FIGVRA I.

A Martyr ſuper prunas ignitas incedens, plumbo liquefacto, oleóve bullienti perfuſus.

B Martyr ſuper prunas ignitas volutatus.

C Martyr inuitus idolis thus offerens, ſiue, vt ætas illa loquebatur, thurificans.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA II.

A Martyr funibus oleo illitis alligatus, ſuppoſito igne comburebatur.
B Martyr ad quatuor palos ſubiecto igne alligatus.
C Martyr in ardentem fornacem coniectus.
D Martyr in foſſam prunis plenam iniectus.
E Martyr igne in cubiculum immiſſo cremabatur.
F Martyres in cupam immiſſi.
G Martyres in nauiculam pice & ſtupa refertam, vt in mari comburerentur, immiſſo igne impoſiti.

Digitized by Google



Digitized by Google

CAPVT VLTIMVM.

De aliis inſtrumentis, ac modis quibus martyres cruciabantur.

EXOPTANS adhuc vehementiſſimè diabolus ſingulas hominum animas lucrari, non ceſſabat modos alios, aliáſque rationes aſſiduè inueſtigare, quibus Chriſti fidem funditus euertere, extuibaréque potuiſſet: itaque arbitratus ſe nactum occaſionem ad hoc facilè conſequendum, ſi in Chriſti membra ſæuitiam exercere non deſiſteret, effecit, vt præclari illorum temporum Iudices hoc vno ſapientiam ſuam omnibus admirabilem fore putarent, ſi viros ac mulieres ſanctiſſimæ noſtræ fidei propugnatores ac præcones crudeliſſimè torqueri, excruciari, & quàm maximo fieri poſſet doloris ſenſu, trucidari curarent. O ſtultam ſapientiam! ô inanem cogitationem! Verè, verè ſtulti facti ſunt principes Thaneos: verè defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, & conſilia mala: *Defecerunt ſiquidem* (vt ſcribit Euſebius *) *carnificum manus, & ſibi inuicem ſuccedentes fatigati ſunt: hebetata eſt acies gladij. Videbam feſſos reſidere tortores, reſumere vires, animos reparare, mutare gladios, diem quoque ipſum non ſufficere ad pœnam. Nemo tamen omnium, ne puer quidem infans à morte deterreri potuit: ſed hoc vnuſquiſque metuebat, ne, dum celerem Sol vrgens clauderet diem, auulſus à conſortio martyrum remaneret. Sic confidentia fidei conſtanter & fortiter, cum lætitia & exultatione mortem præſentem, velut æternæ vitæ principia rapiebant. Denique dum priores iugularentur, reliqui pſallentes, & hymnos Deo canentes, locum quiſque ſui martyrij expectabat, vt hoc modo etiam extremum vitæ ſpiritum in diuinis laudibus exhalarent.* hæc ille.

* *Hiſtor. lib. 8.*

Verè igitur defecerunt peccatores, verè ſtulti facti ſunt, & in foueam, quam ante ſanctorum faciem foderant, incidêre: decernebant enim hi, vt Chriſtiani vel minutatim conſcinderentur, vel ſtylis ferreis, aut graphiis puerorum, quod idem eſt, creberrimis ictibus confoderentur, aut clauis toto corpore, vel aliqua eius parte configerentur, vel medij ſer-

ris diſſecarentur, terebrarentur lanceis, aut gladiis transfigerentur, ſagittis configerentur; eorum ventres, auulſis iecoribus, diſcinderentur; iugularentur, capite plecterentur, notis & ſtigmate deformarentur, ſecuri aut fuſtibus eorum capita tunderentur, atque illiderentur, mulieribus abſcinderentur mamillæ, quibus etiam, ſicuti & viris, linguæ, manus, pedes, aut eorumdem crura frangerentur, euellerentur dentes, vel adhuc viuentibus pellis crudeliter detraheretur, aut præacuta ſude per media viſcera transfigerentur; in vnguibus, oculis, ac vultu acutiſſimis calamis excruciarentur; ex altiſſimis locis præcipites deiicerentur; per loca carduis & tribulis conſita, acutis lapidibus referta, equis indomitis, aliiſve modis raptarentur, feris obiicerentur, viui terrâ obruerentur, in profluentem deiicerentur, in calcis fornacem coniicerentur, veſtibus denudati publicè ducerentur; vel, vt ſicubi vicinæ ſibi duæ arbores repertæ fuiſſent, vi quadam ab vtraque inflexis contra ſe inuicem ramis, eis ſingulis ſinguli martyris pedes alligarentur; vt rami, qui vi adducti fuerant, remiſſi, impetu quodam ad ſitum ſuum naturalem reuertentes, viſceribus diſcerptis, auulſa ſecum vincti hominis membra raperent: & demum vel ſtatuebant hi idolorum cultores, vt Chriſtiani in exilium omni penitus ſolatio deſtituti pellerentur, aut ad marmoreos lapides ſecandos, fodiendam arenam, camdémque propriis humeris ad eorum ædificia, quæ tunc extruebantur, deportandam, vel denique vt ad metalla impellerentur. His itaque cruciatibus, atque aliis, de quibus ſuperioribus capitibus, aliiſque etiam, quorum nomina ob eorum immanitatem ſe ignorare Euſebius fatetur hiſtor lib 8. c. 13. excruciabantur beatiſſimi Chriſti milites; non tamen ſuperari vincíque poterant: cœleſti quippe præſidio muniti, omnia fortiter conſtantérque & ſuſtinebant, & perpetiebantur. *Stabant ſiquidem* (vt beati Ephræm verbis vtamur) *certaminis tempore fortiſſimi bellatores Dei ſingula tormenta ſumma animi alacritate tolerantes pro nomine vnigeniti Filij Dei, ac ſeruatoris noſtri Chriſti. Quàm verò ſtrenui, quantáque fortitudinis laude præditi fuere, qui ſubiecta oculis horrenda ſupplicia contra ſe parata, non modò nihil timuerunt, verùm maiore quoque conſtantia pugnantes, cuncta perferendo ſuperarunt! Cernebant ardentem rogum, ignitas ſartagines, ebullientes ollas, quæ feruore nimio guttas picis & adipis longiùs iaculabantur.*

S. Ephr. de laudibus SS. martyru.

Aſpiciebant item ferratas atque aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate verſari. Intuebantur ferreas vngulas, lamináſque candentes, fuſtes, vrſos, leones, præcipitia, vectes, terebras, compedes, atque catenas, omnémque prorſus artem, quam veritatis inimicus aduersùs confeſſores Domini Saluatoris inuenit. Omnia enim pœnarum genera in conſpectu martyris hoſtis callidus dedit, vt Sanctos verteret in formidinem, & aſpectu ipſo ac terrore pœnarum, lingua non ampliùs confiteri Dominum Ieſum metu impedita præſumeret. Quid autem fideliſſimi promptiſſimíque bellatores Chriſti, inter huiuſmodi ante oculos expoſita horrenda inauditáque ſupplicia? promptiores effecti, maiore fiducia, atque conſtantia, indubitanter & intrepidè ante tribunalia Iudicum ac Præfectorum Chriſtum Dominum confitebantur. Non ſtridens flamma, non igneæ ſartagines, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminæ, non vngularum dentes, non cetera id genus tormenta, non compedes, non catenarum pondus immenſum, non tyrannorum minæ, non Principum fremitus, non ars tota diaboli, miniſtrorúmque eius exterruit fortiſſimos milites Chriſti, non impulit abnegare impietatem, non à charitate Dei & Saluatoris abduxit: ſed præcincti fide, conculcarunt machinas omnes inimici, neque illos omnino formido tentauit. Vidiſti ſeruorum fidelium robur? Vidiſti gloriam pugilum Chriſti, atque conſtantiam? Vidiſti alacritatem ingentem cæleſte regnum tota fide quærentium, Chriſtúmque Regem ſuum omni affectu ambientium? Vidiſti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidiſti charitatem in beatiſſimis martyrum pectoribus flagrantem, pro qua terrena cuncta ſpreuerunt, vt Deum ſuum tenerent, quem amauerant? Vidiſti affectum Chriſti, quomodo à terra eleuat ſublime exaltari cupientes? Vidiſti exultantem paradiſum amplecti, ac ſinere ſui quoſdam auidos milites Chriſti in æterna luce ac pace gaudentes. Accede, cariſſime, pertracta, contemplare martyrum glorioſos triumphos, aſpice oculis cordis cæleſtium pugilum eximiam fidem, inuiolabilémque pietatis affectum. Non potuit vis immenſa pœnarum iuſtorum animos flectere: tam intrepida charitatis ardorem nec mors ipſa quiuit extinguere. Cæſi, magno cum gaudio flagrorum ictus, vt ſummas delicias, ſuſcipiebant; ſerenáque ac ridenti facie gratias Deo referebant, quia meruerant pro ipſius nomine pati. Quibus ego vos laudibus prædicem, ô perfecti milites Chriſti? aut quomodo appellem vos, inclyti atque beatiſſimi viri? quis veſtræ fidei laudes explicare ſufficiat? Obſtupuit nempe oratorum facundia, philoſophorúmque ſapientia, dum cernerent mirabilia in Chriſti famulis

fieri. Iudicibus ac Tyrannis verba dederunt, ſanctorum martyrum conſtantiam & alacritatem, immenſámque athletarum Chriſti tolerantiam aſpicientibus: nam dum lictorum manus eorum membra torquerent, viſceráque nudarent, non mœrentes aſpexere, non triſtes, nec ſolùm inter cruciatum gemitum non edentes, verùm lætiore facie gaudia interna obteſtantes: quippe illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obſequi potiùs quàm ſæuire videbantur. hæc S. Ephræm. Sed vt eò iam vnde digreſſi ſumus reuertamur; probanda ſunt ſingula hæc ſuppliciorum pœnarúmque genera, rebúſque geſtis ſanctorum martyrum confirmanda.

Indicant primùm Acta Nicephori martyris à Romano Martyrologio deſcripta 5. Kal. Martij, & Iacobi cognomento Intercisi à Surio tom. 6. & à Mombritio tom. 2. Alterum verò S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum de Marco Arethuſio verba faciens, Victor de perſecut. Wandal. lib. 1. res geſtæ item B. Caſſiani à veteribus manuſcriptis recitatæ, & à Mombr. tom. 1. à Petro lib. 7. cap 58. à Surio tom. 4. & à Prudentio, à quo ceteri deſumpſere. De martyribus minutatim conciſis.

Styli ferrei, ſeu puerorum graphia quid ſint, quibuſve vſibus accommodata.

ERANT hæc, inſtrumentum æneum, quo in albo, id eſt in ceratis tabellis, primis illis temporibus ſcribebatur, vt nunc in ligneis libellis vel codicillis mercatores ſcribere conſueſcunt. Iob. 19. *Quis mihi det vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina?* Plautus Bacch. act. 4. ſcen. 4. De martyribus ſtylis, ſtimuliſque confoſſis. FIGVRA PRIMA A.

---- Affer citò.

P. *quid?* CH. *ſtylum, ceram, tabellas & linum.*

& paulò pòſt:

Cape ſtylum properè, & tabellas tu has tibi. MN. *quid poſtea?*
CH. *quod iubebo, ſcribito iſtic: nam propterea te volo*
Scribere, vt pater cognoſcat literas, quando legat.

& quæ ſequuntur. Et milit. act. 1. ſcena 1.

Habes tabellas? A. *vis rogare? habeo ſtylum.*

Plinius lib. 34. cap. 14. *Et cùm ſtylo ſcribere inſtitutum eſt, vt vetuſtiſsimi auctores prodiderunt.* Hiſce itaque ſcribendi inſtrumentis, tamquam acerbiſſimo mortis genere, confodiebantur ſæpiſſime morti adiudicati. teſtantur hoc varij auctores, & hi quidem grauiſſimi, vt Suetonius in Caio cap. 28. his

verbis: *Cùm diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornauit, qui ingredientem Curiam, repentè hoſtem publicum appellantes, inuaderent, graphiiſque confoſſum lacerandum ceteris traderent.* Seneca de clement. ad Neronem lib. 1. cap. 17. *Dum*, inquit, *Erixonem Equitem Romanum, memoriâ noſtrâ, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit.* Ad hæc, idem teſtantur quoque Marci Arethuſij Acta; ſic enim in eis legitur: *A pueris ad pueros Marcus penaulus remittebatur, cultris pennariis, hoc eſt graphiis, generoſum illud corpus excipientes.* idem etiam Acta S. Caſſiani martyris his verbis: *Interrogatus hic ſanctus vir à perſecutore, quid artis haberet: quia pueros notas doceret, reſpondit.* & mox: *Spoliatus veſtibus, ac manibus poſt terga reuinctis, ſtatuitur in medio: vocatiſque pueris, quibus docendo exoſus factus fuerat, data eſt facultas eum perimendi. At illi quantùm doluerant diſcentes, tantùm ſe vlciſci gaudentes; alij eum tabulis verberabant, aly ſtylis feriebant. Quorum quantò infirmior erat manus, tantò grauiorem martyrij pœnam, dilata morte, faciebant.* hucuſque eius res geſtæ ex veteri S. Mariæ Maioris manuſcripto deſumptæ.

Non idem erat torqueri ſtimulis, & ſtylis confodi
* In menſem Maij.

Aliud autem erat ſtimulis torqueri, & ſtylis ferreis confodi: namque (vt in Notis ad Romanum Martyrolog.* legitur) hoc ſupplicij genere excruciabantur tantummodo rei, illo autem & excruciabantur, & crudeliſſimè etiam interficiebantur. Inſuper hoc, quod ſtimulum dictum reperitur, ſeruis, qui furtum fecerant, admoueri conſueuit, illud grauiſſimorum ſcelerum conſciis. Meminit huius cruciatus Prudentius hymno S. Hippolyti martyris, cùm inquit:

Itáque infeſtis perfodiunt ſtimulis.

& Plautus pluribus in locis, ſpeciatim Aſinar. act. 2. ſcen. 4.

Vtinam nunc mihi ſtimulus in manu ſit.

& act. 3. ſcen. 2.

Aduorſum ſtimulos, laminas, &c.

& Moſtel. act. 1. ſcen. 1.

O carnificinum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimuli, ſi huc reueniat ſenex.

& quæ ſequuntur. & Menæch. act. 5. ſcen. 5.

At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.

& Milit. glor. act. 2. ſcen. 6.

Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum de te dedatur.

Adde, ſi vis, quæ idem ſcripſit Menæch. act. ſuperiùs cit. ſcen. 2.

Iam aſcendo in currum, iam lora teneo, iam ſtimulus in manu eſt. quibus locis inſtruimur, fuiſſe ſtimulum, fuſtem, ſeu arundinem acutæ cuſpidis, quo ruſtici boues ſuppungunt. Confirmant hoc Acta S. Ioſephi martyris à Metaphr. recitata apud Surium tom. 2. his verbis: *Illi verò obeliſco longæ arundini alligato, eo Sanctum pungere imperabant.* hæc ibi. Et de his hactenus. Stimulus quid eſſet.

Tertium verò ac quartum cruciamentorum genera, quibus SS. martyres vel clauis configebantur, vel ſerris ferreis ſecabantur, oſtendunt Acta Sanctorum, Paphnutij à Rom. Martyrologio relata 8. Kal. Octobris, Seueri Epiſcopi ab eodem Martyrologio 7. Idus Nouemb. & ab auctore Theſauri concionatorum parte 2. Fauſtæ virginis à Metaphr. Lipom. 5. & Surij 1. & à Mombrit. tom. 1. Baſli Epiſcopi à Petro lib. 1. cap. 30. Pionij à Metaphr. Kal. Februarij, Floriani à Petro lib. 4. cap. 121. Philomeni martyris à Martyrologio, & Menologio 3. Kal. Decembr. Euphemiæ virginis à Mombritio tom. 1. & à Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Simeonis Epiſcopi à Surio tom. 2. & à Nicephoro Caliſto lib. 8. cap. 37. Meminit alterius horum ſuppliciorum, nempe quarti, Suetonius in Caio cap. 27. vbi etiam de viris quibuſdam inſcriptione damnatis; de quo tormenti genere inferiùs tractabimus: quod quidem ideo fecit, vt ſæuitiam Caligulæ Imperatoris ſempiternæ hominum memoriæ traderet. Ex quo colligi poſſet, maximam fuiſſe Gentium rabiem in Chriſti athletas, maximámque pariter Chriſtianorum hominum conſtantiam, atque virtutem, quâ omnia cruciamenta facili nullóque negotio & ſufferebant, & ſuperabant. De martyribus clauis confoſſis, vel ſerris diſſectis. FIGVRA SECVNDA C. FIGVRA TERTIA B.

Quintum cruciamenti genus, quo Chriſtiani terebris afficiebantur, indicant Acta ſanctarum virginum, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ manuſcripta habemus, & ſimiliter Fauſtæ virginis, de qua Rom. in Martyrologio XII. Kal. Octobris hæc narrantur: *Cyzici in Propontide natalis ſanctorum martyrum, Fauſtæ virginis, & Eulaſij, ſub Maximiano Imperatore: quorum Fauſta ab eodem Eulaſio idolorum ſacerdote decaluata, & ad turpitudinem raſa, ſuſpenſa, & torta eſt; deinde cùm vellet eam mediam ſecare, & carnifices lædere non valerent, ſtupens Eulaſius, in Chriſtum credidit; & dum ipſe etiam Imperatoris iuſſu fortiter torquere-* De martyribus terebris excruciatis. FIGVRA SECVNDA A.

Digitized by Google

tur, Fauſta capite terebrata, clauis toto corpore confixa, & ſartagini igneæ impoſita, cum eodem, voce de cælo vocata, tranſiuit ad Dominum.

De martyribus lanceis, vel gladiis transfoſſis. FIGVRA PRIMA B.

Sextum verò genus, quo Chriſtiani lanceis, aut gladiis transfigebantur, probari poteſt rebus geſtis SS. Marci & Marcelliani à Petro recitatis lib. 5. cap. 124. Benigni à Surio tom. 6. & à Petro lib. 10. cap. 3. Cyrilli diaconi ab eodem lib. 6. cap. 72. Symphoroſæ à Petro ſimiliter lib. 6. cap. 11. & à veteribus codicibus manu exaratis; Fuſcæ virginis à dicto auctore lib. 3 c. 119. Baſillæ & Anatholiæ virginum à nobis in hiſtoria noſtra ſanctarum Virginum Romanarum, Eupſychij à Romano Martyrologio VII. Id. Septembr. Iuſtinæ virginis à Mombritio tom. 2. & à Petro lib. 9. cap. 32. & Polycarpi à veteribus manuſcriptis, & ab Euſebio lib. 4. cap. 15. Proſequamur modò ſeptimum.

FIGVRA SEPTIMA B. De martyribus quorum ventres diſcindebantur.

Fidem faciunt ſeptimi cruciatus generis, quo martyribus ventres diſcindebantur, res geſtæ S. Cyrilli martyris à Theodoreto recitatæ lib. 3. cap. 6. & à Rom. Martyrolog. VII. Kal. Aprilis, his verbis: *Heliopoli apud Libanum S. Cyrilli diaconi & martyris, cuius iecur, diſſciſſo ventre, auulſum, Gentiles ſub Iuliano Apoſtata feraliter depaſti ſunt.* Teſtantur hoc idem Acta ſanctæ Encratidis virginis, aliàs Engratiæ, ab auctore Theſauri concionat. relata, & à Martyrologio Rom. 16. Kal. Maij, vbi hæc verba leguntur: *Cæſarauguſtæ in Hiſpania ſanctæ Encratidis virginis & martyris, quæ lacerato corpore, mamillâ abſciſsâ, & iecore auulſo, adhuc ſuperſtes in carcere incluſa eſt, donec vlceratum corpus putreſceret.*

De conſimilibus atque diuerſis cruciatibus & pœnis, quibus Chriſtianæ virgines afficiebantur.

Genera tormentorum ac pœnarum diuerſa, quibus Chriſtianæ virgines afficiebantur.

DISCINDEBANTVR primùm, Iuliano Apoſtata imperante, ſanctæ virgines: quæ deinde, ventribus earum nonnihil adhuc palpitantibus, motúque quodam agitatis, hordeo refertæ, immaniſſimis porcis deuorandæ obiiciebantur. Narrat hæc omnia & ſingula S. Gregorius Nazianzenus 1. in Iulianum inuectiua, dum ait: *Illi enim* (id eſt Heliopolitæ (*vt vnum è multis commemorem, quod etiam atheis horrorem incutere queat*) *virgines caſtas, & mundo ſublimiores, quæque vix etiam vmquam viris in conſpectum venerant, in medium productas, veſtibúſque*

búſque nudatas (vt per aſpectum contumeliam ipſis priùs inferrent) ac poſtea præciſſas atque diſſectas (ô Chriſte! quomodo tuam illius temporis patientiam feram?) partim propriis etiam dentibus comminutas ediſſe, atque, vt eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus ſeſe ingurgitaſſe feruntur, ac cibo illo perfunctos, communem & vſitatum admiſiſſe: partim palpitantibus adhuc viſceribus ſuillum pabulum inſeruiſſe, ferociſſimiſque porcis immiſſis, hoc ſpectaculum obieciſſe; vt ſimul cum hordeo carnes laniari atque exedi perſpicerent & reliqua: quibus ſimilia penitus referunt Theodoretus lib. 3. cap. 6. & Sozomenus lib. 5. cap. 9.

His itaque omnibus monemur, fuiſſe Chriſtianas virgines ignominiæ causâ hoc modo diſciſſas, veſtibúſque pariter denudatas: nulla ſiquidem maior contumelia virginibus contingere poteſt, quàm ab impudicis petulantibúſque oculis nudas conſpici.

Hoc ignominiæ genere affectæ fuere ſanctæ Chriſti virgines Priſca, Agnes, Anaſtaſia maior, Febronia, Eulalia Emeritenſis, Barbara, Chriſtina, Reparata, Euphemia Aquileienſis cum tribus ſororibus, nempe Dorothea, Thecla, & Eraſma, aliæque multæ. Præterea aliis quoque, atque aliis contumeliarum probrorúmque generibus ſacræ virgines vexabantur: capilli enim eis quandoque abradebantur. Tradunt hæc res geſtæ beatarum virginum Fauſtæ, Charitinæ, Chriſtinæ, & aliarum.

Agnetis, Priſcæ, & Anaſtaſiæ Acta, nos in hiſt. SS. virg. Rom.

Febroniæ Metaph. & Lipom. 7. Sur. 3.

Eulaliæ auctor theſauri concionat.

Barbara & Chriſtina, noſtra bibliotheca vetera manuſcripta.

Harum quatuor ſororum vetera manuſcripta, & Petrus lib. 8. cap. 29.

Reparatæ Petrus lib. 9. c. 59.

Acta S. Fauſtæ ſuis referat, & Chriſtinæ, vide ſuprà.

S. Charitinæ Sur. tom. 5. & Menologium tertio Non. Octobris,

Porro quàm ignominioſum fuerit mulierum capita radere, oſtendunt optimè Acta prædicta, Suetonius item in Caligula cap. 5. & ea denique, quæ in Notis ad Romanum Martyrologium annotat. 20. in menſem Septemb. de ſancta Fauſta virgine (quæ, vt ibidem narratur, ad turpitudinem abraſa fuit) leguntur. Ampliùs ignominiæ ſimiliter causâ tradebantur Chriſtianæ virgines, in noſtræ fidei contemptum, vel lenonibus, vel petulantibus iuuenibus; aut ad meretricum proſtibula, vt ibidem earum virginitas violaretur, ducebantur. Deus tamen, cuius nutu omnia reguntur, eas ſibi, ſaluo pudore, voluit immolari. Si quæras, cur iſta in virgines Chriſto dicatas ſceleſti illi perpetrarent; id (vt iam diximus) in Chriſtianæ religionis contumeliam factum, reſpondere poſſumus. Quibus præterea adiungimus, non licuiſſe antiquo more Romanorum (Suetonio in Tiberio c. 61. auctore) virgines violenta morte necari, niſi priùs à carnifi-

Digitized by Google

cibus, vel lenonibus maculâ affectæ fuiſſent. ponam verba ipſius: *Immaturæ puellæ, quia (more tradito) nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ priùs à carnifice, deinde ſtrangulatæ.* hæc ille.

Ex his iam ſponte, niſi cæcus eſſe velis, potes Chriſti virtutem atque potentiam cognoſcere, qui ſponſas ſuas, huiuſmodi periculo ac diſcrimini commiſſas, nouit, earum ſaluâ integritate, conſeruare, & ab impudentium hominum manibus eripere, ac liberare. indicat hoc Baſilius Magnus lib. de ver. virginit. in hunc modum: *Cùm ferueret perſecutionis immanitas, electæ virgines propter ſponſi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inuiolatæ durarunt; eo ſcilicet, cuius gratiâ perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, & integra earum corpora non ſine prodigio & virtute cuſtodiente.* hucuſque Baſilius. Tradunt hæc eadem Acta ſanctarum virginum Agnetis, Dariæ, Seraphiæ, Theophilæ, Euphraſiæ, Antoninæ, Theodoræ, Luciæ, Suſannæ, Martianæ, & aliarum. Si plura adhuc diſcere cupis, lege Notas in Rom. Martyrologium ad menſes Ianuarij, & Septembris, huius ad tertium Nonas, illius ad decimum Kal. Februarij; item Nicephorum lib. 7. cap. 13. Senecam controuerſ. lib. 2. Dionem lib. 56. & Tacitum lib. 5. Et de ſuppliciis, pœniſque, quibus Chriſtianæ virgines à Gentilibus afficiebantur, ſatis.

Agnetis, & Dariæ Acta deſcripſimus nos in hiſt. SS. virgin. Rom. Seraphia vetera manuſcripta, & Sur. tom. 5. Theophilæ Sur. ex Metaphr. tom. 6. Euphraſia Nicephorus lib. 7. cap. 13. Theodora S. Ambroſ. de virgin. l. 2. Antonina Surius tom. 3. Luciæ eiuſdem to. 6. & vetera manuſcripta. Suſanna nos in hiſt. SS. virg. Rom. Martiana Petrus lib. 2. c. 56.

Ab hæreticis etiam ſub Conſtantio Conſtantini Magni filio, & Valente Imperatoribus Arianis, & ſub ſæuiſſima Wandalorum in Catholicos perſecutione ſacræ Chriſti virgines variis modis in ipſarum ſponſi odium ignominiis afficiebantur. De virginibus ſub Conſtantio probro affectis hæc narrat S. Athanaſius *: *Virgines enim ignibus flammantis rogi admotas adigebat (ſceleratiſſimus omnium hominum Sebaſtianus copiarum dux) ad confeſſionem Arianæ religionis: ibi cùm eas inuictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, vt vix longo pòſt tempore à ſuis potuerint agnoſci.* & in epiſtola ad Solitarios: *Ariani ſacra virginum corpora plagis concidunt, iniectáque in veſtes manu trahunt, capita denudant; eas verò virgines, quæ inter trahendum obnitebantur, calcibus pulſant. Grauia quidem iſta, & nimiùm grauia, ſed tamen quæ inſecuta ſunt, multò grauiora, & genere contumeliæ prorſus intoleranda. Cùm enim ſcirent pudicitiam virginum, & aurium integritatem, & quòd patientiùs ferrent lapides & fuſtes, quàm obſcœna verba; fœdiſſimis dictis inter inuadendum vtebantur: & hæc Ariani iuuentuti ſuggerebant, quippe qui ad iſta di-*

* Apologia de fuga ſua.

Digitized by Google

ćta & facinora cachinnarentur. ſacræ autem virgines, & aliæ caſtæ mulieres, vt morſus aſpidum, ab iſtiuſmodi vocibus refugiebant. Chriſti verò perduelles ſuam quoque operam, vt hæc fierent, addebant; nec diſsimile eſt veritati, ipſos eaſdem cum iuuentute illas voces concinuiſſe: delectabantur certè petulantia & obſcœnitate verborum, quæ à iuuentute iactabantur. & paulò pòſt: *Multas*, inquit, *virgines, quæ & eorum impietatem damnabant, & veritatem agnoſcebant, ex ædibus ſuis deportarunt, aliiſque ad negotia ſua euntes contumeliis affecerunt, operámque dedere, vt à proteruioribus adoleſcentibus denudarentur: ſuiſque mulieribus poteſtatem conceſſere, vt quam vellent indignè tractarent.* hæc Athanaſius.

De iiſdem etiam virginibus ſub eodem Imperatore ignominiâ affectis ſic Theodoretus hiſtoriæ lib. 1. cap. 14. *Georgius Arianus virgines, quæ perpetuæ caſtitati ſe addixiſſent, coegit non modò Athanaſij denegare confeſsionem, verùm quoque fidei patrum anathema denunciare. ſuæ verò crudelitatis ſocium atque adiutorem habuit Sebaſtianum quemdam, ordinum militarium Præfectum: qui in media vrbe accenſo rogo, virginibúſque nudis propter eum collocatis, fidem negare iubet. Quæ ſinè ſpectaculum acerbum ac miſerum fidelibus pariter & infidelibus conſtitutæ, ignominiam illam pro magno honore duxere.* hæc ille.

De virginibus ſub Valente ludibrio item affectis ſcribit Petrus Alexandrinus apud Theodoretum hiſtoriæ lib. 4. cap. 20. his verbis: *Palladius Eccleſiam Catholicorum ingreſſus, cœpit cum ſuis copiis, pro verbis grauibus, & Eccleſia dignis, ſimulacrorum laudes decantare; pro diuinarum litterarum lectione plauſus indecoros edere; fractáſque voces cum obſcœnitate fundere, & contumelias in Chriſti virgines iacere non ſunt veriti. Quales quidem contumelias lingua proferre reformidat, quippe cùm dictu turpes ſint. Nam quiſnam bene ſanus, cùm eas tantummodo audiret, non aures penitus obſtrueret? imò verò optaret ſe potiùs ſurdum eſſe, quàm vt tantam obſcœnitatem auribus acciperet? Sed vtinam verborum turpitudine contenti, in ea re ſolùm deliquiſſent: & non improbitate factorum, verborum petulantiam longè ſuperaſſent. Nam conuicium, qualecumque illud ſit, eſt quidem tolerabile, præſertim his in quorum animis Chriſti prudentia & doctrina diuina habitat. At iſti, vaſa iræ aptata ad interitum, naſuti, qui ſtrepitum laſciuum, ſonorum, & velut ex aquæductu (vt ita dicam) erumpentem, per nares effundebant; veſtes ſanctarum Chriſti virginum, quarum pius vitæ cultus exemplar viuendi ſanctorum Angelorum expreſsit, dilacerare,*

Digitized by Google

eáſque nudas, vti in lucem edita erant, per vrbem triumphi loco ducere, & pro ſua libidine petulanter & obſcœnè irridere cœperunt: denique quæ perpetrata ſunt, tum crudelia erant, tum peregrina. Quòd ſi quis his rebus ad miſericordiam inductus, eos vel vi prohibere, vel hortando à talibus facinoribus diſſuadere conaretur, non ſine vulneribus diſceſſit. Verùm (proh dolor!) multæ virgines per vim ſtupratæ, complures etiam fuſtibus in capite cæſæ mutæ iacuerunt: quarum corpora tumulis mandandi nulla omnino permiſſa poteſtas eſt: & præterea complura earum corpora, quæ ſunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæſita, nondum reperiuntur. hæc Petrus.

De virginibus demum ſub Wandalis Arianis dedecore in Chriſti etiam contemptum oppreſſis ſcribit Victor Epiſcopus Vticenſis lib. 2. hoc pacto: *Præcepit deinde Tyrannus ſacras virgines congregari, dirigens Wandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamillis, & lateribus apponebant. Quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite quomodo Epiſcopi vobiſcum concumbunt, & clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas: aliæ quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus, factæ ſunt curuæ.* hactenus ille.

Quibus omnibus optimè iam inſtruimur, priorum temporum hæreticos (quorum exempla recentiores, vt ex multis auctoribus colligimus, ſequuntur) extitiſſe in ſacris virginibus in Catholicæ religionis odium perſequendis, ignominiáque afficiendis, ſine dubitatione vlla Gentilibus inhumaniores, petulantiores, inexorabiliores, crudelioréſque.

FIGVRA PRIMA D. Martyres ſagittis configebantur.

At omiſſis nunc hæreticis, accedamus ad octauum propoſitorum cruciamentorum genus explicandum. Huius cruciatus, quo Chriſtiani ſagittis configebantur, teſtes ſunt eorumdem res geſtæ, ſpeciatim ducentorum ſexaginta martyrum, quorum nomina nobis ignota ſunt, à Rom. Martyrologio relatæ Kal. Martij, & à veteribus manuſcriptis ſub S. Valentini inſcriptione, vel Marij, Marthæ, & filiorum, Irenis virginis ab eodem Martyrologio Nonis Aprilis, Chriſtinæ ſimiliter virginis à peruetuſtis codicibus manu exaratis, & à Petro lib. 6. cap. 130. Sebaſtiani à veteribus etiam manuſcriptis codicibus, & à Lipom. tom. 5. Sur. 1. à Mombritio 2. & à Pe-

Digitized by Google

tro lib. 2. cap. 106. Chriſtophori à Rom. Martyrologio VIII. Kal. Auguſti, & Fauſti à Græcorum Menologio XVII. Kal. eiuſdem menſis, vbi in hunc modum legitur: *Eodem die S. martyris Fauſti, qui ſub Decio Imperatore propter Chriſtianæ fidei confeſſionem comprehenſus, & liberè Chriſtum ipſum profeſſus, cruci affixus, & ſagittis vulneratus, cùm quinque dies in cruce conſtanter permanſiſſet, in manus Dei ſpiritum commendauit.* De plurimis item Catholicis telis confixis ſcribit Victor de perſecutione Wandal. lib. 1. his verbis: *Quodam tempore Paſchalis ſolemnitas agebatur: & dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem Paſchalis honoris, noſtri ſibimet clauſam Eccleſiam reſerarent, compererunt Ariani. Statim quidam presbyter eorum, Andiot nomine, congregatâ ſecum armatorum manu, ad expugnandam turbam accedit innocentum: introeunt euaginatis ſpatis, arma corripiunt, alij quoque tecta conſcendunt, & per feneſtras Eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc fortè, canente populo Dei, lector vnus pulpito ſiſtens, alleluiaticum melos canebat. Quo tempore ſagitta in gutture iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus, poſt cecidit ipſe. Nam & alij quamplurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi*, &c.

Noni autem cruciatuum generis, quo ſcilicet martyres iugulabantur, teſtimonium dant res geſtæ B. Philippi patris S. Eugeniæ virginis Rom. à nobis relatæ in filiæ hiſtoria, & beatiſſimorum martyrum Iuſti atque Paſtoris fratrum, de quibus Romano in Martyrologio 8. Idus Auguſti hæc verba leguntur: *In Hiſpania ſanctorum martyrum Iuſti & Paſtoris fratrum, qui cùm adhuc pueri litteris imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt, & mox à Daciano Præſide teneri iuſſi, & fuſtibus cædi, cùm ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra ciuitatem perducti, à carnifice iugulati ſunt.*

FIGVRA SECVNDA B. Martyres iugulabantur.

Iuſti & Paſtoris fratrum martyrium.

Decimi generis, quo capitis damnabantur, fidem faciunt innumeræ ferè res geſtæ ſanctorum martyrum, nominatim Terentij, Pompeij, & ſociorum à Metaphr. deſcriptæ Lipomani 7. & Surij 2. Victoris à Petro lib. 4. cap. 142. Gordiani ab eodem lib. pariter 4. cap. 149. à Mombrit. tom. 1. à Surio tom. 3. Palmatij Conſulis, Simplicij Senatoris, & ſociorum à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Mombrit. to. 1. ſub S. Caliſti Papæ inſcriptione, Torpetis, & Euellij à Petro lib. 5. cap. 8. & à Mombrit. tom. 2. Venantij à Petro lib. eodem c. 12. Anaſtaſiæ, & Baſiliſſæ à nobis in hiſtoria SS. Virg.

FIGVRA PRIMA E. Martyres capite plectebantur.

Digitized by Google

Romanarum, Paulæ virginis à Rom. Martyrol. & Menologio 3. Non. Iunij, Ioannis ac Pauli fratrum à Surio tom. 3. & à Petro lib. 6. cap. 9. Fabij à Lipom. tom. 4. & à Surio tom. ſimiliter 4. ex Adone, Quirini Tribuni à nobis in hiſtoria SS. Virg. Romanarum, Apollonij Senatoris à Petro lib. 4. cap. 62. Sulpitij & Seruiliani à nobis etiam in eadem hiſtoria in Flauia Domitilla. Præterea demonſtrant hoc pariter quamplurima ex Actis ſanctarum Virginum Romanarum, vt Martinæ, Tatianæ, Priſcæ, Soteræ, Theodoræ, Liciniæ, Reſtitutæ, Cantianillæ, ac fratrum eius, Bonoſæ, Luciæ, Floræ, Lucillæ, Suſannæ, Benedictæ, Anaſtaſiæ maioris, alterius Lucillæ, Mariæ, & ſociorum, atque Artemiæ.

Percutiebantur martyres gladio.

Credibile valde eſt (ſicuti ſecundo Annalium Eccleſiaſticorum tomo legitur) maiorem Chriſtianorum martyrum partem, plurimùm gladio, & non ſecuri percuſſam fuiſſe. tradunt hæc non ſolùm ſingulæ ferè Sanctorum res geſtæ veteribus manuſcriptis contentæ, vel ab ipſis non mutato ſtylo deſumptæ, in quibus ſemper ferme legimus Chriſti bellatores gladio animaduerſos, cæſos, percuſſos, punitos fuiſſe, & ſimilia: ſed etiam quia maioris ignominiæ erat gladio feriri, quàm ſecuri: nam Spartianus in Geta de Antonio Caracalla teſtatur, improbaſſe, quòd Papinianus, quem interfici iuſſerat, ſecuri cæſus eſſet, & non gladio. Si plura vis ad horum confirmationem ſpectantia, vide Briſſonium lib. 5. de formulis, vbi de gladij animaduerſione ſermonem habet. Diximus, plurimùm martyres gladio percuſſos, quoniam negari nequit, ſecuri etiam aliquando hoc eodem mortis genere vitâ priuatos fuiſſe: etenim reperitur nonnumquam apud aliquos Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores, eos ſecuri percuſſos, victores ad cæleſtem martyrij coronam aduolaſſe.

Decapitabantur martyres aliquando ſecuri.

Modus quo Chriſtiani capite plectebantur.

Martyres flexis genibus, & oculis ligatis, capite plectebantur.

OBTRVNCABANTVR potiſſimùm SS. martyres (veluti ipſorum Acta indicant) genibus flexis, & corpore incuruato. ſic res geſtæ Sanctorum, Pauli ſub Lini nomine, Mennæ à Metaphr. apud Lipom. tom. 7. Dionyſij, ac ſociorum eius à Surio tom. 5. & à veteribus codicibus manuſcriptis, Montani, Lucij, Flauiani, atque aliorum à Surio etiam tom. 1. In rebus quippe geſtis S. Pauli Apoſtoli hæc verba habentur: *Ligans*

ſibi Paulus de Plautillæ maphorte oculos, in terra vtrumque genu fi-xit, & collum tetendit. Spiculator verò in altum brachia eleuans, eum tota vi percuſſit, & caput eius abſcidit. in Actis autem B. Mennæ hæc: *Cùm ſic dixiſſet, genibus in terra poſitis, ceruicem extendit, & ſtatim gladio percuſſus eſt.* in illis verò ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, huiuſmodi verba: *Quapropter velut ab initio virgis in conſpectu omnium ſancti martyres nudi cæſi ſunt, & veſtibus reinduti, ad locum conſtitutum educti ad decollationem, ſunt genua flectere iuſſi.* & pòſt: *Poſitis genibus, & protenſis ceruicibus, vno eodémque momento, ſecundùm Principis præceptum, ſecuribus decollati ſunt.* & paucis interpoſitis: *Lux ineffabilis cunctis reſplenduit, & beatiſſimi Dionyſij ſe cadauer erexit, ſanctúmque manu caput à corpore*, &c. demum in paſſione B. Flaviani hæc: *Deinde ad locum victimæ, expleto ſermone, deſcendit, & ligatis oculis ea vittæ parte, quam Montanus ſeruare ante biduum iuſſerat, fixis tamquam ad preces genibus, paſſionem ſua cum oratione perfecit.* idem quoque innuere videntur Acta SS. Acatij, Pauli, & Iulianæ à Metaphr. apud Lipom. tom. 7. & aliorum.

Maphors accipitur hic pro ſudario & panniculo.

Diximus, potiſſimùm ſic vt iam explicuimus, SS. martyres gladio percuſſos fuiſſe: quoniam aliis modis id eis accidere poterat: etenim apud Valerium Max. lib. 5. c. 8. (vt alios ſcriptores, quorum c. 1. & 4. meminimus, omittamus) publicis litteris conſignatum inuenitur, capite plectendos, palis alligari conſueuiſſe: namque ibi ait: *Virgis cæſos, & ad palum religatos, ſecuri percuti iuſſit.* & lib. 3. c. 8. eadem penè habet. Item etiam, quia legimus B. Stephanum Papam in ſua ſede poſitum, & Chriſtianum quemdam, Alexandrum nomine, ſtantem, capitis damnatos fuiſſe: in huius enim Actis, quæ ex Metaphr. Lipomanus ſub alterius Alexandri titulo tom. 7. deſcripſit, hæc verba referuntur: *Cùm hæc turbis dixiſſet, Alexander ad carnificem conuerſus, Mane, inquit, frater, parumper, vt adhuc Deum orem. Ac flexis genibus, ita Deum precatus eſt.* & paulò pòſt: *Hac voce audita B. martyr ſurrexit è terra; & milites hortatus, Citò, inquit, fratres, facite quod iuſſi eſtis.* & pòſt: *Hoc cùm ille dixiſſet, gladium eduxit Caleſtinus, & linteo ſumpto, oculos B. Alexandri contexit,* &c.

Ex his quæ hucuſque diximus, colligitur, gladio percutiendos, virgis primùm cæſos fuiſſe, & poſtea eiſdem oculos linteis aut ſudariolis obductos, atque velatos. Vide quæ nuper

Qui capite plectendus erat, virgis primùm cædebatur.

Digitized by Google

ex rebus geſtis ſanctorum Pauli, Floriani, Alexandri, & Dionyſij, ſociorúmque eius, atque inſuper quæ ex Valerij Maximi auctoritate, quæve pariter cap. 4. de martyribus veſtibus denudatis, flagellíſque verberatis ex antiquorum libris recitauimus.

Ad hæc item magis confirmanda referre poſſumus Acta S. Cypriani à Pamelio in eiuſdem ſancti viri operis initio relata, & B. Iuſtini à Metaphr. Lipom. 7. & Surij 3. in quibus hæc conſcripta leguntur: *Hæc audiens Præfectus, talem ſententiam pronunciauit: Qui diis ſacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæſi, ad capitalem pœnam adducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaque SS. martyres Deum collaudantes, ad conſuetum locum perducti, poſt verbera ſecuri percuſsi ſunt.* In rebus verò geſtis S. Cypriani hæc: *Sed iam ligatis per manus ſuis oculis, moram carnifices vrgere tentabat.* His proximè accedunt, quæ in paſſione S. Montani, cuius ſuperiùs facta eſt mentio, continentur; ſunt autem huiuſmodi: *Et quo precis ſuæ fidem beatus hic vir, qui ſcilicet erat tunc gladio puniendus, faceret; manualem, quo oculos fuerat ligaturus, in duas partes diſcidit, & iuſsit alteram reſeruari, quâ Flauiani oculi, qui & ipſe capite plectendus erat, poſt craſtinum ligarentur.* quæ verò ſequuntur verba, iam ſuprà ad aliud comprobandum recitauimus. Lege pro dictorum confirmatione Ioſephum de bello Iudaico lib. 7. cap. 14.

Inſuper velim te ſcire, Catholicos aliquos ab hæreticis noſtræ ætatis capitis damnatos fuiſſe, inter quos (Sandero teſte lib. 1. de ſchiſmate Anglic.) fuere præcipuè duo Angliæ lumina, Ioannes Fuſcherus Epiſcopus Roffen. ſacratiſſimo Illuſtriſſ. Cardinalium Collegio adſcriptus, & Thomas Morus equeſtris ordinis, paulò antè Regni totius Cancellarius.

FIGVRA TERTIA A. Vndecimi verò prædictorum ſuppliciorum generis, & duodecimi, quibus SS. martyres vel notis deformabantur, vel ſecuri, aut fuſtibus eorumdem capita tundebantur, teſtes ſunt res geſtæ beatiſſimarum virginum Romanarum Bibianæ, atque Aureæ deſcriptæ à nobis in earum hiſtoria, & Maximi, atque Olympiadis à veteri S. Mariæ Maioris manuſcripto, & à Surio tom. 3. ſub Laurenti martyris nomine, item ſanctorum Eutropij, & Getulij huius à Petro lib. 5. cap. 104. illius ab eodem auctore lib. 4. cap. 105. Fit

Digitized by Google

Fit mentio de hoc duodecimo ſupplicij genere (quo ſumma irrogabatur iniuria, cùm liberi hominis facies eo afficiebatur) à Suetonio in Caio cap. 27. his verbis : *Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit.* Item à Seneca lib. 3. de ira cap. 3. dum inquit : *Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inſcriptiones frontis*, &c. à Valerio Max. lib. 6. cap. 8. & à Dione hiſtor. Rom. lib. 97. Vetuit Conſtantinus Imperator hanc vultus deformitatem, quâ reorum frontes atris notis perpetuò manſuris profundis characteribus incidebantur, l. 2. de pœnis. C. Theod. quam tamen Theophilus hæreticus Imperator Iconoclaſta reſtituit : his ſiquidem notis ſanctorum fratrum Theophanis ac Theodori vultus deformauit, imò potiùs decorauit. Legat lector Notas in Rom. Martyrologium in menſem Decembris *, Georgium Cedrenum in compendio hiſtoriæ in Theophilo, & Boëtium de conſolat. proſ. 4. Ceterùm placuit nobis hoc loco, ad maiorem Dei gloriam, & fidelium deuotionem, referre quæ de prædictis martyribus Theophane & Theodoro fratribus ex eorum epiſtola ad Epiſcopum Cyzici, & ad reliquam Orthodoxorum multitudinem, deſcripſit Metaphraſtes. Sunt autem huius generis : *Cùm nos* (id eſt Theodorus, & Theophanes) *ante conſpectum Imperatoris ſtantes tacuiſſemus, & oculos humi deieciſſemus, ad Præfectum, qui propè ſtabat, impudenti oratione & torno aſpectu conuerſus Imperator, cum magna ira & voce aſpera hæc locutus eſt : Tolle eos, & in eorum facie inſcribe & inſculpe hos iambos, & trade eos duobus Saracenis, & abducant eos in terram ſuam. Propè verò adfuit, qui eos habebat iambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Chriſtodolus : cui etiam iuſſit eos legere, hoc etiam adiiciens : Etſi non ſint pulchri, ne ſit tibi curæ. Is autem dixit : In componendis verſibus tam accuratè ſumus exercitati, vt ſatis ſit ad eos irridendos. Et ideo quidam, qui aderat, ad gratiam loquens ei dixit : Ne digni quidem ſunt iſti, ô Domine, vt ſint iambi pulchriores. Satiùs eſt autem, illos ipſos, ita vt ſe habebant, inſerere narrationi :*

Cunctis ad vrbem adire eam volentibus,
Stetere vbi verbi Dei caſti pedes,
Terrarum vt orbis per id queat conſiſtere.
Apparuerunt iſti honorando in loco,
Erroris impij mala vaſa & reproba,

Figvra qvinta D.
Supplicium inſcriptionis vultus quale fuerit.

Conſtantinus vetuit hanc vultus deformitatem.

Theophilus Iconoclaſta quid in Catholicos.

* 12. Kal. Ianuarij.

Alia

Digitized by Google

Cùm multa feciſſent ibi perturpia,
Grauiáque, quòd deeſſet eis recta fides,
Illinc abacti ſunt ſicut apoſtatæ:
Confugientes autem ad vrbem Imperij,
Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
Quare notati & inſcripti vt malefici,
Damnantur, exiguntúrque improbi iterum.

His lectis, iuſſit nos adduci in prætorium, & poſtquam egreſſi eſſemus. Et inferiùs: *Eſt enim facilius facere, vt terra & cælum ſint ſurſum & deorſum, quàm nos traducere à pietate. Tunc iuſſit inſcribi noſtros vultus: & cùm adhuc in nobis inflammata plaga, quas ex flagellis acceperamus, graues afferrent dolores, extendentes ſuper ſcamna, vultus noſtros inſculpebant. Cùm autem longo tempore pungerent, occidente Sole, tenebræ factæ ſunt. Quod quidem effecit, vt vel inuiti ceſſarent ſcribere. Egreſſuri verò, diximus Præfecto, & iis qui aderant: Sciatis Cherubim, quæ has viderunt litteras, eſſe ceſſura, & flammeam rhompheam, verſis tergis, conceſſuram nobis ingreſſum in Paradiſum, vt quæ ſint reueritura noſtros vultus pro communi Domino tam ignominiosè inſculptos. Hoc enim à vobis ſolis factum eſt à ſæculo, & hoc eſt nouum inuentum, & reddidiſtis omnes benignos & clementes, qui aduersùs diuinum noſtrum dogma inſanierunt. In facie autem Chriſti omnino agnoſcemini, & vobis exhibebuntur legendæ hæ litteræ. Ipſe enim dixit: Quæcumque feciſtis vni horum minimorum, mihi feciſtis.* & infrà: *Neque enim nobis in angulo, neque in occulto hæc facta ſunt: ſed in theatro, & in medio orbis terrarum.* ſic quidem epiſtola.

FIGVRA QVARTA C. De SS. mulieribus, quibus mamillæ abſciſſæ fuerunt.

At proſequamur alia, nempe decimumtertium genus, quo mulieribus, augendi doloris ſtudio, vel altera, vel ambæ mamillæ abſcindebantur. Oſtendunt hoc res geſtæ earum, vt Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, atque Eraſmæ ſororum recitatæ à Petro lib. 8. cap. 29. & à veteribus Aquileienſis Eccleſiæ manuſcriptis, & duodecim SS. matronarum, quarum nomina ignorantur, à Surio ex Metaphr tom. 4. ſub S. Procopij inſcriptione, Theodoſiæ virginis à Rom. Martyrologio 4. Non. April. Encratidis ab auctore Theſauri concionatorum, Calliopæ à Surio tom. 3. Febroniæ virginis à Mombritio tom. 1. atque ab aliis; Epiphanæ à Rom. Martyrolog. 4. Id. Iulij, Barbaræ & Iulianæ à Mombrit. tom. 1. & à Surio tom. 6. Anaſtaſiæ Maioris à nobis in hiſtor. SS. Virginum Rom. Agathæ à veteribus noſtræ bibliothecæ codici-

bus manu exaratis, & à Surio tom. 1. & demum Helconidis à Græcorum Menologio 5. Kal. Iunij ad hunc modum: *Eodem die S. martyris Helconidis. hæc fuit, Gordiano Imperatore, ex vrbe Theſſalia: detenta verò ad Perennium Corinthi Præſidem ducta, idolis immolare paſſa non eſt; ſed Chriſtum ipſum prædicans, primùm alligata eſt pedibus iugo boum, & proſtrata ſoluto plumbo & pice illæſa exiit; poſtea raſo capite, igne tota perfuſa eſt: tum inde dimiſſa, ingreſſa in templum idolorum, ſimulacrum Palladis, Iouis, & Æſculapij, precibus in terra proſtrauit. Ad hac, ſectis mammis, cùm Iuſtinus Proconſul ſucceſſiſſet Perennio, ad eum ducta martyr, in caminum ardentis ignis mittitur: ſed flamma ipſa illam non attigit, verùm multos ex militibus conſumpſit. Poſtea in grabatum æreum ignitum expanſa eſt. Repentè verò aſtiterunt Angeli, qui beatam martyrem incolumem ſeruarunt. Poſtremò feris exponitur, quæ illam ne attigerunt quidem, ſed viros aliquos interfecerunt. Tunc lata ſententia Præſidis, libentiſſimè accipiens, ſecto capite, migrauit in cœlum.* hæc Menologium.

S. Helconidis martyrium.

Sed veniamus ad alia cruciatuum genera, videlicet ad decimumquartum, quintum, ſextum, ſeptimum, & octauum, quibus vel martyribus dentes euellebantur, linguæve excidebantur, aut manus, & pedes, vel horum alterum amputabantur, vel denique crura frangebantur.

De martyribus quibus euulſi fuerunt dentes.

HVIVS cruciatus teſtimonium dant Acta SS. virginum Apolloniæ ab Euſebio ex Dionyſio relata hiſtor. lib. 6. cap. 30. & à Nicephoro lib. 8. cap. pariter 30. Anaſtaſiæ Maioris à nobis in hiſtor. SS. Virg. Rom. & Febroniæ, de qua ſuprà fecimus mentionem. Scribit de his omnibus Martyrologium Rom. variis in locis; de Apollonia 5. Id. Februarij, de Anaſtaſia 5. Kal. Nouembris, & de Febronia 7. Kal. Iulij.

FIGVRA QVARTA B. Martyribus dentes euellebantur.

De martyribus quibus lingua exciſa fuit.

CHRISTIANORVM huiuſmodi ſupplicio affectorum fidem faciunt Acta ſimiliter SS. virginum Anaſtaſiæ, & Febroniæ, itémque res geſtæ aliorum vtriuſque ſexus martyrum, vt Romani à Mombr. tom. 1. Chriſtinæ virginis à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Mombr. tom. 1. Teren-

FIGVRA QVARTA A. Martyribus lingua excidebatur.

tiani à Petro lib. 7. cap. 136. Florentij, atque Hilarij ab eodem auctore lib. 8. cap. 124. & SS. Agathocliæ, Baſiliſſæ & Anaſtaſiæ à Menologio: Agathocliæ, quintodecimo Kal. Octobris ſic: *Natalis ſanctæ martyris Agathocliæ ſeruæ. Sancta martyr Agathoclia ſerua Nicolai cuiuſdam Chriſtiani hominis, & Paulinæ vxoris; cùm eſſet Chriſtiana, & Deum timeret, quotidie cruciabatur ab hera infideli muliere idolorum cultrice, quæ Agathocliam octo annis aſperis lapidibus verberabat in vertice, eámque nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme & frigore ad ligna colligenda, per totos octo annos ſtudens illi perſuadere, vt adoraret idola: quod cùm omnino recuſaret, laniata eſt; & exciſâ linguâ, in carcerem coniecta, fame affligebatur: poſtremò iniecto in collum igne, præſentem vitam cùm æterna commutauit.* De aliis duabus 17. Kalendas Maij in hunc modum: *Natalis ſanctarum Baſiliſſæ, & Anaſtaſiæ, quæ cùm eſſent ex magna vrbe Roma, genere & diuitiis illuſtres, diſcipulæ ſanctorum Apoſtolorum, illis martyrio coronatis, cùm eorum ſanctas reliquias nocte ſublatas curauiſſent, delatæ ſunt Imperatori Neroni: itaque in carcerem coniectæ, & paulò pòſt eductæ, cùm in Chriſti confeſſione ſe permanere profeſſæ eſſent, ſuſpenſæ ſunt, mamiſque, manibus, pedibúſque, & linguis exciſis, capite obtruncatæ ſunt.* hæc Menologium.

Agathocliæ martyrium.

Baſiliſſæ & Anaſtaſiæ martyriũ.

De martyribus quibus manus, vel pedes truncabantur, aut crura confringebantur.

His tribus ſanctorum Chriſtianorum cruciatibus teſtimonio ſunt res geſtæ Quirini relatæ à nobis in hiſtor. SS. Virginum Rom. & trigintaſeptem martyrum, & Seueri, ac Memnonis à Martyrologio, & Menolog. 13. Kal. Septemb. item Theodori, Oceani, Ammiani, & Iuliani ab iiſdem libris pridie Non. Septemb. Charitinæ virg. à Lipomano lib. 6. à Sur. 5. ex Metaphr. Galationis, eiúſque vxoris, Hepiſtemis, & Hermogenis à Surio ex Metaphr. tom. 6. Hadriani & ſociorum à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & ſanctorum quadraginta militum à Rom. Martyrolog. 7. Id. Martij.

FIGVRA QVINTA B. C. & FIGVRA TERTIA C.

Sanctis martyribus manus, vel pedes amputabantur, eiſdemque quandoque crura confringebantur.

De modis quibus martyribus dentes euellebantur, linguæ & mamillæ abſcindebantur.

DIVINA operante virtute, fiebat interdum, vt martyres, linguâ abſciſsâ, optimè verba pronunciarent, ac loquerentur. tradunt hæc aliqua ex actis ſuperiùs citatis, & ea quæ in notis ad hiſtoriam S. virginis Anaſtaſiæ Maioris Romanæ ſcripſimus. Porro abſcindebantur ſanctis martyribus lingua, & mamillæ, dentéſque euellebantur, ipſiſmet ſtipitibus erectis alligatis. Colligitur hoc ex Actis S. Febroniæ virginis à nobis paulò ſuperiùs relatis.

Quomodo SS. martyribus pedes ſcinderentur, cruráque confringerentur.

PRÆCIDEBANTVR Chriſtianis martyribus manus, & pedes (vt Acta S. Febroniæ, & B. Oceani & ſociorum teſtificantur) hoc modo. Collocabatur primùm ſuper aliquod ligni fruſtulum, vel tabulam ligneam membrum præcidendum: deinde eleuabat carnifex brachium cum ſecuri; quod poſtea continuò demittens, illud percutiebat, ſicque abſcindebat. Crurifragium verò fiebat ita: Incus parabatur vnà cum vecte ferreo: poſtea iubebatur miſeris, ſiue Chriſtianis pro Chriſti fide ad mortem damnatis, tibias ſuper incudem imponere, quas carnifex inhumanus vecte validis ictibus perfringebat. Scribunt hæc S. Hadriani martyris res geſtæ, quarum nuper ipſi meminimus. De hoc eodem ſupplicio, ſicuti etiam de lumbifragio, mentionem facit ex ſcriptoribus antiquis Plautus in Pen. dum ait:

Ex ſyncraſto crurifragium fecit.

& Apuleius lib. 9. ſic: *Tunc vxor egregia diras in eum deuotiones deprecata, & crurifragium eius abominata, exangui formidine trepidantem adulterum abſcondit.* de eadem etiam pœna pluribus Polybius hiſtor. lib. 1.

Sententia quorumdam de crurifragio examinatur.

OPINANTVR quidam, crurifragij tormento tunc aliquem affectum fuiſſe, cùm eidem cruci affixo crura ſuffrin-

Gentiles corpora in crucem actorum, in ea vſque dum putreſcerẽt, permanere faciebant.

gerentur. Sed ſi verum fateri velimus, falluntur hi: nam crura in crucem actorum frangere, vt ſic citiùs ex hac vita migrarent, Iudæis dumtaxat (veluti ſuprà cap. 1. ex Deuter. oſtendimus) vſui erat, non Gentilibus: hi enim (vt ibidem etiam ex Valerio Maximo oſtendimus) corpora cruci affixorum, in ea, donec putreſcerent, permanere ſinebant. tradit hoc quoque Plautus Milit. glor. act. 2. ſcen. 4. dum in perſona cuiuſdam ſerui loquens, dixit:

Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum.

& Horat. lib. 1. epiſt. ad Curtium:

Non hominem occidi, non paſces in cruce coruos.

Ex his itaque iam optimè liquet, non depoſuiſſe Gentiles de patibulis, Iudaico more, corpora illorum, quos cruci affigi fecerant, ſed potiùs quoad putreſcerent, ibidem permanere permiſiſſe. Et hæc de his.

Pergamus modò probare reliqua ſuppliciorum genera, & primùm decimumnonum, vigeſimum, & vigeſimumprimum, quibus vel inter manuum vngues & carnem ſanctis martyribus acuti calami fuerunt infixi, aut pellis detracta, vel ſude * præacuta transfoſſi.

* Sudes etiã ferreæ, de quibus in vita S. Quintini apud Sur. tom. 5. fit mentio, inter martyrij inſtrumenta connumerandæ veniunt, quæ alio nomine Tarinchæ dictæ leguntur. declaratur hoc optimè in Notis ad Rom Martyrologium in menſem Decembris ex varia Actuum SS. Victorici & Fuſciani martyrum lectione.

Sermo fit de his cruciamentis in variis paſſionibus Sanctorum, ſpeciatim Bartholomæi Apoſtoli à Romano Martyrolog. recitatis octauo Kalend. Septembris; item Glyceriæ virginis à nobis in hiſtor. ſanctarum Virginum Rom. Gregorij Armenij à Surio ex Metaphraſte tom. 5. Tharaci in veteribus noſtræ bibliothecæ codicibus manuſcriptis, Zenonis à Menologio Nonis April. & permultorum aliorum, quorum & nomina & numerum ſolus Deus nouit, à Theodoreto lib. 5. cap. 39. item Metrani à Dionyſio Alexandrino Epiſcopo apud Euſebium hiſtor. lib. 6. cap. 30. & Nicephorum lib. 5. cap. pariter 30. Galationis & Epiſtemis à Surio (vt diximus) ex Metaphr. tom. 6. Bonifacij à veteribus manuſcriptis cùm noſtris, tum aliorum, & à Lipom. tom. 5. à Surio 3. Beniamin diaconi à Theodoreto lib. 5. cap. 39. plurimorum itidem martyrum à Rom. Martyrologio Nonis Februarij, & Iſchyrionis ab eodem Martyrologio 11. Kal. Ianuarij, & ab Euſebio hiſtoriæ lib. 6. cap. 34.

De martyribus verubus transfixis.

Figvra ſeptima A.

VERVM ſancti Chriſti martyres non ſolùm ſude lignea præacuta, de qua hoc loco verba fecimus, transfoſſi narrantur, ſed etiam verubus ferreis. declarat hoc (vt S. Quintini martyris res geſtas omittamus) Sozomenus lib. 5. cap. 8. ſic dicens: *Gazæ populus, Iuliano Apoſtata imperante, Euſebium, Neſtabum, & Zenonem, Chriſtianos eo tempore odio proſecutus, domi occultatos comprehendit, ac primùm conicit in carcerem, flagríſque cædit. Deinde omnes ad theatrum conuenire, & contra eos grauiter propterea vociferari cœperunt, quòd ſacra ipſorum antea profanaſſent, eiſdémque ad religionem Gentilium delendam, afficiendámque contumelia ſuperioribus temporibus abuſi fuiſſent. Qui partim clamando, partim ſe inuicem incitando, irâ accenſi in eorum necem auidè feruntur. Atque ipſi ſe mutuò inſtigantes (quod à populo in ſeditione fieri ſolebat) ad carcerem concurſare: eóſque inde deductos, modò pronos, modò ſupinos trahere, interdum ad terram allidere, iam cædere, alij ſaxis, lignis alij, alij aliis rebus fortuitu oblatis, ſicque crudeliſſimè interfecerunt. Accepi etiam, mulieres è textrinis egreſſas, radiis illos confodiſſe. Quin etiam coqui in foro pars lebetes aqua feruenti ebullientes à focis arripere, inque illis effundere, pars verubus transfigere. Vt verò eos diſcerpſerant, & capita ita confregerant, vt cerebrum in terram efflueret: extra vrbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua proiici ſolent.* hactenus ille. Et de martyribus tarinchis, ſudéque ferrea præacuta, ſeu verubus (quod idem omnino eſt, vt S. Quintini martyris Acta * apertè indicant) transfixis, ſatis ſuperque dictum exiſtimo.

Gazæ totus populus inſanit in Chriſtianos.

Mulieres & coqui carnifices SS. martyrum.

Martyres verubus transfigebantur.

* Apud Surium tom 5.

Agamus nunc (vt enumeratis paulò antè cruciatuum generibus finem faciamus) de modis quibus pellis martyribus detrahebatur, ac deinde de Catholicis noſtræ ætatis, ſub quorum vnguibus acus ab hæreticis infiguntur.

Martyribus, integra mente, ceteriſque ſenſibus, pellis plerumque totius corporis detrahi ſolebat, aliquando alicuius partis dumtaxat, vt dorſi, vultus, vel capitis, in quod accenſi carbones nonnumquam immittebantur. Lege pro horum confirmatione Acta ſuperiùs citata.

Figvra sexta A.

Martyribus pellis detrahebatur, & quomodo.

Figvra qvinta A.

De Orthodoxis verò ab hæreticis acubus ſub vnguibus excruciatis ſcribit auctor Concertationis Anglicanæ in Alexan-

Figvra octava B.

dro Brianto ad hunc modum : *Cùm duarum dierum ſpatio in turri Alexander degiſſet, ab arcis Præfecto, Doctore Hammono & Nortono euocatus eſt, qui illum more ſuo exagitarunt, iuſiurandum proponentes, quo ad omnia illum reſpondere cogant. Cúmque fateri nollet, quorum eſſet operâ ſuſtentatus, vbi rem diuinam peregiſſet, & quorum excepiſſet confeſſiones; acus ſub vnguibus eius infigi demandarunt: quo tantùm abfuit vt de conſtantia animi deturbari potuerit, vt hilari etiam vultu pſalmum, Miſerere mei Deus, recitaret, & obnixè Deum, vt ſuis tortoribus ignoſceret, deprecaretur.* hæc ibi.

Catholicis ſub vnguibus acus ab hæreticis infiguntur.

FIGVRA DVODECIMA A. Martyres præcipitabantur.

Sed proſequamut alia cruciatuum genera, nempe ſecundum & vigeſimum, quo martyres ex altiſſimis locis præcipites datos eſſe diximus. Fuiſſe martyres hoc ſupplicio affectos, eorum Acta confirmant, nimirum Clementis Ancyrani à Surio ex Metaph. recitata to. 1. Felicitatis & filiorum à Mombr. tom. 1. & Venantij à veteribus noſtræ bibliothecæ, Camerinenſiſque Eccleſiæ manuſcriptis. Scribit Tacitus lib. 2. Lucium Pithuanium magum ſaxo Tarpeio deiectum fuiſſe. Et Apuleius in ea oratione, qua magiæ crimen à ſe alienum defendit, hæc ait: *O mirum commentum, ô ſubtilitas digna carcere & robore*. Dicebatur ſaxus Tarpeius, & robur, locus ille, ex quo præcipitabantur noxij. Cùm igitur iam liqueat, magos è robore præcipites datos fuiſſe; quis dubitet, Chriſtianos, qui à Gentilibus magi credebantur, huiuſmodi ſupplicij genere, martyrij corona ab ipſis donatos fuiſſe?

Saxus Tarpeius, & robur quid ſint.

Chriſtiani à Gẽtilibus vt magi habebantur.

Si plura adhuc de his cognoſcere quæris, lege Notas in Romanum Martyrologium ad menſem Martij, & inſuper annotationes noſtras in ſanctæ Glyceriæ Romanæ virginis hiſtoriam. Et de his iſta ſufficiant. Veniamus deinceps ad alia cruciamenta ſanctorum.

De tertio & vigeſimo, ac ſequenti ſuppliciorum generibus.

Martyres raptabantur, & ſæpiſſime etiam feris obiiciebantur

DVOBVS hiſce cruciatibus, quibus beatiſſimi glorioſiſſimíque Chriſti martyres vel diuerſimodè affecti raptabantur, vel feris diuerſorum generum obiiciebantur, teſtimonio ſunt quamplurimæ ſanctorum res geſtæ, vt Philemonis & Apollonii à Metaphr. deſcriptæ Lipom. 5. & Surij 6. ſub ſanctorum Thyrſi ac ſociorum titulo, Corinthæ, aliàs Quintæ,

à

Digitized by Google

à Dionyſio apud Euſebium hiſtor. lib. 6. cap. 30. & Nicephorum lib. 5. cap. itidem 30. Encratidis ſuprà à Trugillo in ſuo concionatorum Theſauro, Marci Euangeliſtæ à Rom. Martyrologio 7. Kal. Maij, & à Nicephoro lib. 2. cap. 43. Hippolyti à veteribus manuſcriptis, & à Surio ſub ſancti Laurentij nomine tom. 4. Oneſiphori Apoſtolorum diſcipuli à Rom. Martyrol. octauo Id. Septemb. Elpidij & ſociorum ab eodem lib. octauo Kal. Decemb. Felicis ab Adone; Pontiani, cuius ſuprà facta eſt mentio: item Neophyti à Menologio 13. Kal. Februarij, Tryphenis à Rom. Martyrologio pridie Kal. Februarij, Ignatij à Metaphr. apud Surium tom. 1. Siluani ab Euſebio hiſtor. lib. 9. cap. 6. & à Nicephoro lib. 7. cap. 16. Priſci & ſociorum ab iiſdem, à Nicephoro lib. 6. cap. 11. & ab Euſebio lib. 7. cap. etiam 11. Martianæ virginis à Rom. Martyrol. 4. Id. Iulij, Florelli à Mombr. tom. 1. & à Petro lib. 8. cap. 92. Mamantis à Surio ex Metaphr. tom. 4. Benigni à Surio tom. 6. Euphemiæ à Mombr. tom. 1. & à Petro lib. 8. cap. 48. Dariæ virg. à nobis in hiſtoria ſanctarum Virginum Rom. Blandinæ ab Euſebio lib. 5. cap. 3. & innumerabilium Sanctorum ſub Nerone martyrio coronatorum, à Rom. Martyrologio 8. Kal. Iunij, & denique Germanici martyris ab Euſebio lib. 4. cap. 14. & ab eodem Martyrol. 14. Kal. Febr.

Modus quo martyres raptabantur.

TRAHEBANTVR nonnumquam martyres (vt ex illorum Actis, quæ ſuprà retulimus, colligitur) per loca aſpera atque ſaxoſa, vel tribulis, carduiſque conſita, collo aut caudis indomitorum equorum, vel funiculis perforatis eorum calcaneis immiſſis. FIGVRA DECIMA A.

De Catholicis autem ab hæreticis noſtri temporis miſerandum in modum per vrbes raptatis multa habes in Theatro crudelitatum hæreticorum, in Sandero de ſchiſmate Anglicano, & in libello de perſecutione Anglicana. Inuenies præſertim in Theatro, viduam quamdam venerabilem ſexagenariam, apud vrbem Mombrunum, crinibus ligno intortis alligatam, crudeliſſimè per plateas illius ab Huguenotis in contemptum religionis Catholicæ tractam fuiſſe. Et hæc ſatis.

De martyribus ad beſtias damnatis.

FIGVRA NONA. Extitit præterea antiquis temporibus in more maiorum, vt rei, vel etiam Chriſtiani ad beſtias damnarentur. Meminit huius ſupplicij Aſinius Pollio epiſt. 32. lib. 10. Aulus Gellius lib. 5. c. 14. Apuleius lib. 6. Athenæus lib. 3. Ioſephus lib. 15. antiquit. Iudaic. cap. 11. & demum Acta ſanctorum martyrum paulò ſuperiùs citata: quibus planè, ſicuti & Suetonio in Domitiano c. 10. monemur, non tantùm leonibus, ſed & canibus aliquando fuiſſe obiectos, licèt leonibus frequentiùs. docent hæc, non ſolùm Androclis hiſtoria relata ab Æliano lib. 7. de animal. cap. vlt. & res geſtæ ſancti Ignatij martyris apud Euſebium lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 34. & Hieronymum lib. de vir. illuſtrib. ſed etiam vulgaris populi Romani in Chriſtianos acclamatio: teſtatur enim ſæpiſſime Tertullianus in apolog. cap. 39. populum Romanum crebrò acclamaſſe; Chriſtianos ad leonem. *Si Tiberis aſcendit,* ait, *in mœnia; ſi Nilus non aſcendit in arua; ſi cælum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim, Chriſtianos ad leonem acclamatur; tantos ad vnum.* & cap. vlt. eiuſdem lib. *Nam & proximè ad lenonem clamando Chriſtianam, potiùs quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari.* Idem lib. de ſpectaculis: *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit; item gladiatori atroci petat.* & in exhortatione ad caſtitatem: *Ne non ſint, qui exclament; Chriſtianos ad beſtias.* apud Lampridium etiam in Commodo, in Senatus acclamationibus, hæ voces inueniuntur: *Delatores ad leonem.*

At fuiſſe Chriſtianos hiſce animalium generibus, aliiſque etiam frequenter, vt deuorarentur, diſcerperentúrque, obiectos, docent eorumdem res geſtæ, & Tertullianus locis nuper citatis. nec mirum: nam (ſicuti ex l. 1. colligitur, ff. de bon. damnator. & l. 3. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. atque ex Vlpiano l. eius qui §. 1. & §. ſeq. ff. qui teſtam. fac. poſ.) ſeruile ſupplicium erat; ſeruis enim dumtaxat, vilioribúſque perſonis irrogari ſolebat: cúmque Chriſti fideles apud Gentiles talis eſſent æſtimationis, (vt pluribus Tertullianus tradit in apologet.) mirandum profectò non eſt, ſi ſæpiſſime eos feris obiectos fuiſſe, inueniatur.

Quale ſupplicium beſtiis obiici.

FIGVRA NONA. Modi quibus martyres feris obiiciebantur.

Non vno eodémque modo feris ſancti martyres obiiciebantur: ſiquidem aliquando veſtibus denudati, in mediis theatris, aliiſve locis, in quibus morabantur, includi ſolebant; quandoque (vt Euſebius ſcribit lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 1.) ſtipitibus ligati, vel retibus inuoluti, aut ferarum pellibus induti; aut denique pedibus, perforatis lapidibus, liquefacto plumbo inſertis, & candentibus ſubulis in manuum digitis per longum defixis, canum laniatibus cuſtodiis concluſi tradebantur. Teſtantur hæc acta S. Benigni martyris ſuprà citata ad hunc modum: *His verbis commotus iniquiſſimus Imperator, in carcerem eum includi præcepit, & grande ſaxum, idémque perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inſeri, & in digitos manuum eius calentes ſubulas in longum defigi, atque per ſex dies nullum ei nec cibum, nec potum præberi: porrò etiam includi cum eo duodecim canes ſæuiſſimos, fame & ſiti affectos, vt ab illis diſcerperetur: carcerem quoque cuſtodiri à militibus. Itaque ſubulas acutiſſimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remiſſo, pedes eius incluſerunt, canéſque ferociſſimos cum illo in carcere incluſerunt.* & paulò pòſt: *O miram Dei virtutem, ô paternum Ieſu Chriſti amorem in ſuos: Angelo ei auxilium præbente, canes manſuefacti ſunt, ita vt nec pilum capitis, nec fimbriam veſtimenti attingerent.* & quæ ſequuntur. Ampliùs, audiamus modò Euſebium loco dudum citato, & lib. 8. cap. 7. de Chriſtianis feris obiectis ita loquentem: *Maturus ergo, Sanctus, Blandina, & Attalus, die cum beſtiis dimicandi in noſtrorum hominum cruciatum de induſtria præſtita, ad beſtias ducebantur, quo publicum & commune Gentilibus ſpectaculum plenum inhumanitatis & ſæuitiæ exhiberent. Atque Maturus & Sanctus in amphitheatro omne genus tormentorum denuò ſubeunt.* & paulò pòſt: *Suſtinent hi ſancti viri tum crudeles ferarum tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera.* & paucis interpoſitis: *At Blandina trabi ligneæ ſublimis affixa, præda beſtiis incurſantibus obiicitur: quæ quoniam & in crucis ſpecie ſuſpenſa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipſo certamine, ex ſorore cruci ſuffixa, ipſum Chriſtum, qui pro nobis crucifixus eſt, oculis corporeis quodammodo videbant.* & pòſt: *At cùm nulla beſtia eius carnem tangere vellet, à trabe mox arrepta, in carcerem iterum truditur.* Et eodem cap. de Alexandro medico & martyre hæc ſubdit: *Populi multitudo contra Alexandrum vociferari cœpit. Vbi Præſes inſtabat, ſiſti-*

S. Benigni crudele martyrium.

Subulæ ferreæ martyrij inſtrumentum; à quibus non multùm, opinor, diſtabât, quæ à Ioſepho lib. de Machab. ſuccenſoria nuncupantur: namq; ait eſſe tenuia ferri tela ad incendendum martyrem côparata.

S. Blandina cruci affixa a feris non tangitur.

tabatúrque quiſnam ille eſſet; reſpondit, ſe Chriſtianum eſſe. Vnde Præſes ad iracundiam prouocatus, illum condemnat ad beſtias. Poſtero autem die eamdem cum Attalo dimicationem (Præſes enim, quo populo gratificaretur, Attalum denuò beſtiis condemnat) Alexander ingreditur. Hi duo in amphitheatro, &c. Nec multò pòſt adiecit idem auctor: *Beata Blandina omnium poſtrema, tamquam nobilis & generoſa mater, vbi liberos animauerat ad pœnam, & victores ad Chriſtum Regem præmiſerat, ipſa eoſdem cum liberis certaminum curſus remenſa, ad eoſdem lætitiâ geſtiens, ac de ipſo vitæ ſua exitu permagno gaudio exultans properabat, non quaſi ad beſtias crudeliter proiecta, ſed ad cænam ſponſi amicè inuitata. Atque*

S. Blandina inuicti animi mulier feris obiecta tauri cornibus iactatur.

poſt verbera, poſt beſtiarum laniatus, poſt ſartaginis exuſtionem, ad extremum in rete inuoluta, tauri rictibus obiectatur. Quæ cùm ab animali illo diu multúmque icta exagitatáque fuiſſet, ac nullum ſenſum cruciamentorum, quæ hactenus ei obtigiſſent, partim propter ſpem quâ Dei promiſſis firmè adhæreſcebat, partim propter colloquia quæ intra ſe cum Chriſto conferebat, omnino haberet, tandem enſe iugulata fuit. Et lib. 8. cap. 7. *Quoſdam enim ex illis in Palæſtina propter patientem tormentorum perpeſſionem claruiſſe ſcimus: alios Tyri Phœniciæ magnam laudem collegiſſe: quos quidem quis eſt qui non ſupra modum miratus fuerit, cùm oculis cerneret innumerabiles*

Chriſtiani feris obiecti.

plagas, dimicationem tum beſtiis voracibus, ínque ea pardorum, vrſorum immanium, aprorum agreſtium, taurorum denique igne & ferro ad rabiem acriter incitatorum impetus, & eximiam generoſorum martyrum contra cuiuſque beſtiæ ictum tolerantiam? Quibus quidem rebus, dum gerebantur, ipſi interfuimus: diuinámque potentiam Seruatoris noſtri, ipſiúſque Ieſu Chriſti, cui illi in cruciatu præclarum teſtimonium perhibebant, id temporis præſto martyribus opem tuliſſe, & euidenter ſeipſam eis oſtendiſſe animaduertimus. Nam belluæ illæ rapaces, longo temporis ſpatio, neque Sanctorum corpora attrectare, neque ad ea propè accedere audebant: ſed in infide-

Beſtiæ infideles adoriuntur.

les, qui extra repagula, alius aliunde, incitatione quadam eas in martyres inſtigarunt, impetu ferebantur. Et quamquam ſancti Dei athletæ nudi conſiſtebant in medio, manibúſque ea prouocabant, & in ſe pertrahere conabantur (hoc enim vt agerent, illis erat imperatum) illos tamen ſolos non omnino attigerunt: verùm interdum, dum in eos irruebant, tamquam diuiniore quadam vi ac virtute fuerunt repulſæ, & retrò denuò quàm mox reſilierunt. Quod cùm diu fieri cerneretur, non exiguam infidelibus ſpectantibus excitauit admirationem: vſque adeo, vt prima beſtia fruſtra incurſante, ſecun-

Digitized by Google

dam, & tertiam in vnum eumdémque martyrem dimitterent. Interea non modò virilem & intrepidam Sanctorum illorum animi tolerantiam, ſed firmam etiam atque inflexibilem in teneris corporibus conſtantiam cum ſtupore quodam mirari licuerat. Vidiſſes enim adoleſcentulum non viginti annos integros natum, nullis conſtrictum vinculis, firmè conſiſtentem, manibus in crucis modum è tranſuerſo expanſis, robuſta & excelſa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentiſſimè defixum, neque omnino ſe commouentem, neque in hanc vel illam partem de loco, in quo ſteterat, deflectentem: idque cùm vrſi & pardi furorem & mortem in eum exhalarent, cúmque iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur: quorum ora, diuina quadam & inexplicabili potentia, neſcio quo pacto fuere propriè obturata, & iterum ipſi retrò properè recurrerunt. Sed de iſto hoc modo: *Alios rurſum cernere potuiſſes (omnes enim ſimul quinque erant) agreſti & immani tauro obiectatos: qui nonnullos ex infidelibus propiùs aduentantes, cornibus in aërem coniecit, eóſque diſcerpſit miſerè, & ſemiuiuos hominum manibus inde auferendos reliquit: Verùm ad ſanctos martyres ſolos, dum furore & rabie exardeſcens in eos irrumpere conabatur, ne appropinquare quidem poterat: & tametſi pedibus atque cornibus huc illúcque vibratis inſultabat, & cauteriorum incitamentis laceſſitus contra illos terrorem ſpirabat, tamen retrogrado curſu diuina ſacri numinis prouidentia repulſus fuit; vſque eò, vti cùm iſte illos neutiquam læſiſſet, alias belluas in eos immitterent. Ad extremum, poſt graues & varias illarum etiam incurſiones, enſe obtruncati fuere, & marinis fluctibus ſepulcrorum loco mandati.* hucuſque Euſebius, qui aliis etiam locis de Chriſti fidelibus beſtiis obiectis pluribus agit.

Martyrum feris obiectorum mira conſtantia.

Ceterùm fuiſſe martyres canum lacerationibus à Gentilibus traditos pellibus ferarum indutos, oſtendit (vt noſtros mittamus) Cornelius Tacitus Ethnicus ſcriptor annalium lib. 15. ita dicens: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui, Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſáque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modò per Iudæam, originem eius mali, ſed per Vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebrantúrque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm humani generis odio conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis*

FIGVRA DECIMA C.

contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. hæc ille. De his Sanctis quoque eadem fermè habet Martyrologium Rom. 8. Kal. Iulij, dum de pluribus Chriſtianis ſub Nerone martyrio coronatis ſermonem facit.

Epiſcopi iumentorum curæ aſcribebantur.

Legimus præterea in Euſebio hiſtor. Eccleſ. lib. 8. c. 22. & in Actis ſanctorum martyrum, ſpeciatim Marcelli Papæ, fuiſſe Epiſcopos, Maxentio imperante, ad maximam eorum contumeliam, curæ iumentorum aſcriptos: in rebus quippe geſtis Marcelli Romani Epiſcopi huiuſmodi verba habentur: *Hic coarctatus, & tentus eſt, eò quòd Eccleſiam ordinaret: & comprehenſus à Maxentio, vt negaret ſe eſſe Epiſcopum, & ſacrificiis ſe humiliaret dæmoniorum: qui ſemper contemnens & deridens præcepta Maxentij, damnatus eſt in catabulum.* id eſt (vt innuunt ea, quæ de ipſomet ſcribit Rom. Martyrologium 17. Kal. Februarij) in ſtabulum iumentorum; vel (quod idem eſt) ad alendos (vt Euſebius ait loco nuper citato) equos, & camelos Imperatoris, qui publicæ vtilitati ad vehenda onera inſeruiebant. Si adhuc alia quæris, vide Notas ad Rom. Martyrologium in menſem Ianuarij, & Acta ſanctorum Indes & Domnæ à Metaphr. deſcripta apud Surium tom. 6. itémque Theodoretum hiſt. ſuæ Eccl. lib. 5. cap. 38. ibi enim de ſancto Hormiſda martyre Perſa loquens hæc ait: *Hormiſdam quemdam, virum in Perſis apprime nobilem, ex genere Achæmenidarum oriundum, patre Præfecto, cùm Rex ſcilicet Perſarum Gararanes Iſdigerdis filius, eum Chriſtianum eſſe accepiſſet, ad ſe adduci, & Deum ſeruatorem pernegare iubet. At Hormiſda: Quod imperas, ô Rex, neque iuſtum eſt, inquit, neque vtile; nam quicumque didicerit Deum omnium gubernatorem facilè contemnere, eúmque denegare, multo faciliùs Regem, quippe cùm homo ſit, mortalis naturæ particeps, contempturus eſt.* & pòſt: *Rex autem, quem oportuerat ſapientiſſimam eius orationem admiratum eſſe, athletam generoſum diuitiis & honore ſpoliauit, deditque ei mandatum, vt omnibus veſtibus, ſolo ſubligaculo excepto, exutus, camelos qui erant in exercitu, duceret. Cùm verò dies complures præteriiſſent, Réxque è tabulato deſpiciens, videret optimum illum virum & radiis ſolis exuſtum, & conſperſum vndique puluere; nobilitate ac ſplendore illius in memoriam reuocato, primùm iubet eum adduci ad ſe, & induſio lineo veſtiri. Deinde arbitratus eius animum partim cruciatu præterito, partim humanitate erga eum iam declarata mollitum eſſe;*

Hormiſdæ glorioſa confeſſio, & inuicta conſtantia.

Camelorum curæ aſcriptus S. martyr Hormiſda.

Nunc demum, inquit, obſtinatione depoſita, filium fabri negato. At ille diuino zelo accenſus, induſium dilacerauit, eóque ad Regem proiecto, ſic eum affatur; Si me huius cauſâ pietatem deſerturum putas, habeas tibi donum cum impietate. & quæ ſequuntur. Meminit conſimilis pœnæ generis Victor lib. 1. de perſecut. Wandal. dum loquens de Armagaſto nobiliſſimo Chriſti martyre, inquit: *Tunc Theodoricus in Byzacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat ſcrobes. Poſtea quaſi ad maius opprobrium, haud procul Carthagine, vbi ab omnibus videretur, paſtorem eum præcipit eſſe vaccarum.* hæc ibi. At nunc ad alia.

Armagaſtus Comes Chriſti confeſſor, vaccarum paſtor efficitur à Vvandalis Arianis.

De martyribus Chriſtianis obiectis vel muribus, vt abroderentur; vel equitibus, vt eorum corpora ab ipſis obtererentur.

Mvribvs tradebantur Chriſtiani à Gorarane Perſarum crudeliſſimo, vt de ipſis tradit Theodoretus hiſtor. lib. 5. cap. 38. his verbis: *Quin etiam lacus effodere; eos*, id eſt Chriſtianos, *ſumma cum diligentia iniungere, deinde ingentem ſoricum numerum in eos concludere; poſtremò pietatis athletas, eorum manibus pedibúſque conſtrictis, ne beſtias abigant, ſoricibus velut alimentum obiiciunt; ſorices autem fame oppreſſi, ſenſim carnes Sanctorum abſumunt, ſicque diuturnum & acerbum cruciatum illis afferunt*, &c. Simile aliqua ex parte huic cruciatus generi, licèt immanius, videtur illud, quo noſtri temporis hæretici (vt annotatur in libello, qui Theatrum crudelitatis hæreticorum inſcribitur) Catholicos diuexant, atque affligunt; dum videlicet eos reſupinos ligantes, nudo eorum ventri pelues inuerſas cum viuis gliribus intus incluſis ſuperimponunt, ſupérque pelues ignes extruunt, vt illis excitati glires, dentibus ventres abrodant, & in viſcera ſe condant. Hoc tam acerbo támque diro ſupplicio plurimi ex Catholicis temporibus hiſce noſtris, vt Orthodoxam fidem desererent, affecti fuerunt: è quorum numero etiam aliqui extitere, qui ad exemplum Chriſtianorum Neronis tempore paſſorum, ferarum pellibus inſui magis voluerunt, & rabidiſſimorum canum morſibus (Elizabetha impia Angliæ Regina nuncupata ſic iubente) obiici, quàm nefaria eius imperata exequi, & à vera Chriſti fide vel minimùm deficere atque recedere.

Chriſtiani ſoricibus rodendi tradebantur.

Immanis cruciatus.

Catholici diris valde modis ab hæreticis vexantur.

Catholici noſtri temporis ab hæreticis ferarum pellibus inſuti morſibus rabidiſſimorum canũ obiiciuntur.

Digitized by Google

Prætereà de Chriſtianis martyribus (quod dilucidandum nobis erat) & præcipuè Epiſcopis, quorum corpora miſerè impiorum iuſſu humi proſtrata, conculcata, contritáque ab equis fuere, ſcribit Victor de perſecutione Wandalica lib. 3. inquiens: *Poſt hæc edicta feralia veneno toxicato tranſuerſa, iubet cunctos Epiſcopos, qui Chartagine fuerant congregati, quorum iam Eccleſias, domos, & ſubſtantiam ceperat, in hoſpitiis, quibus erant, expoliari, & expoliatos foràs muros propelli: non animal, non ſeruus, non mutanda quæ ferebant veſtimenta penitus dimittuntur: addens adhuc, vt nullus quempiam illorum hoſpitio reciperet, aut alimoniam præſtaret: qui autem hoc miſerationis causâ facere tentaſſet, cum vniuerſa domo ſua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam proiecti Epiſcopi fecerunt, vt licèt mendicantes, exinde non abirent; quia ſi recederent, non tantùm violenter omnino reuocarentur, ſed & mentirentur eos, ſicuti mentiti ſunt, fugiſſe conflictum; maximè, quia vbi reuerterentur, iam nequaquam fuerat, Eccleſiis, ſubſtantia, vel domibus occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum, nudo ſub aëre iacerent; factum, vt Rex impius ad piſcinas exiſſet. Cui vniuerſi occurrere maluerunt, dicentes; Vt quid taliter affligimur? Pro quibus malis fortè commiſsis iſta perpetimur? Si ad diſputationem congregati ſumus, quare expoliati? quare traducimur? quare differimur? & ſine Eccleſiis & domibus noſtris foràs ciuitatem, fame & nuditate laborantes, mediis ſtercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis aſpiciens, priuſquam ſuggeſtionem eorum audiſſet, iuſſit ſuper eos cum ſeſſoribus equos dimitti, vt tali violentia poſſint non ſolùm conteri, verùm etiam necari. quorum tunc multi contriti ſunt, & præcipuè ſenes, & infirmi.* hucuſque Victor.

Sic ſcribit Theatrum crudelitatũ hæreticorum noſtri temporis.

Porro hæretici noſtri temporis, imitantes horum exempla, fratrem quemdam, cui Ioannes nomen erat, virum venerabilem ex Ordine S. Franciſci, Epiſcopum Dauentrienſem paulò antè deſignatum, quem immaniſſimè vulnerauerant, pluribúſque aliis iniuriis & opprobriis affecerant, pedibus conculcarunt, & inſtar putridi & abiecti cadaueris in plateis reliquerunt. Idem legimus, Diocletiano Imperatore, ſanctis Chriſti virginibus Maximæ, Secundæ & Donatillæ accidiſſe. Et de his iam ſatis.

De

De ſexto & vigeſimo, ac duobus pòſt ſequentibus S S. martyrum cruciatibus.

De his ſuppliciorum generibus, quibus martyres in profundas foſſas iniecti terrâ obruebantur, aut in profluentem, vel in puteos, aut in calcis fornacem deturbabantur, ſermonem faciunt eorumdem res geſtæ, ſpeciatim Caſtulli à Surio relatæ tom. 1. ſub. S. Sebaſtiani titulo, Vitalis à Mombritio tom. 2. & à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, Marcelli à Surio tom. 5. & à Petro lib. 8. cap. 37. Philemonis & ſociorum à Martyrologio, & Menologio 10. Kal. Decemb. Paulinæ ac Dariæ virginum Rom. à nobis in earum hiſtoria, Sabini à Metaphr. Lipom. 7. & Surij 2. Iuliani à Menologio Idibus Martij, Montani & Maximæ à Rom. Martyrologio 7. Kal. Aprilis, & à Petro lib. 3. cap. 233 Cæſarij, & alterius Iuliani ab eodem auctore lib. 10. cap. 2. & à Surio tom. 6. Vlpiani à Romano Martyrologio 3. Non. April. Agathopodis, ac Theoduli à Lipom. tom. 7. & à Surio 2. ex Metaphr. Apollonij, ac ſociorum à Petro lib. 4. cap. 44 Caliſti, & Cariſij ab eodem lib. etiam 4. cap. 55. Floriani à Mombritio to. 1. & à Surio 3. Theoduli, Thecuſæ, Alexandræ, Claudiæ, Fainæ, Euphraſiæ, Matronæ, & Iulittæ virginum à Martyrologio, & Menologio 15. Kalend. Iunij; Peregrini, ſociorúmque eius à Menologio itidem Nonis Iulij, Symphoroſæ à veteribus manuſcriptis, & à Petro lib. 6. cap. 111. Hieronidis, Leontij, & aliorum à Menologio prid. Id. Septemb. Calliſtrati ab eodem libro 5. Kal. Octobris, & à Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Clementis Papæ, & Claudij à nobis in hiſtoria SS. Virginum Romanarum, Agapij à Romano Martyrologio 12. Kal. Decemb. Rufinæ & Secundæ ſororum à nobis in rebus geſtis ſanctarum Virg. Rom. Mamantis à Metaph. apud Surium tom. 4. Hermilli & Stratonici ab eodem apud eumdem ſcriptorem tom. pariter 4. Heſychij à Martyrologiis 14. Kal. Decemb. Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij, atque Simplicij à Surio tom. 6. Caliſti Papæ à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, & à Mombrit. tom. 1. & Anthuſæ Iunioris à Menologio 16. Kal. Septemb. Flori, & Lauri ab eodem 15. Kal. eiuſdem menſis, vbi iſta leguntur: *Natalis SS. martyrum Flori, & Lauri. hi viri ſancti erant*

FIGVRA VNDECIMA A. B.

SS. Flori, & Lauri martyriũ.

Digitized by Google

fratres gemelli, caſores lapidum, quam artem didicerant à Proclo, & Maximo: poſtea verò quàm eorum magiſtri pro Chriſto martyrium perpeſſi ſunt, relicto Byzantio, venerunt in Illyricam regionem, in vrbem Vlpianorum: vbi apud Licionem Præſidem metalla perſcrutantes, propriam artem nobiliter exercebant. poſtremò multos paſſi cruciatus, à Licione Præſide in profundum puteum deiecti, Deo ipſi animas commendarunt. hucuſque Menologium.

FIGVRA DVODECIMA B.
Martyres in calcis fornacē fuiſſe deturbatos oſtenditur.

Iam verò fuiſſe ſanctos martyres in calcis fornacem (quod probandum reſtabat) coniectos, aperiunt S. Clementis Ancyræ Epiſcopi Acta à Surio ex Metaphr. tom. 1. deſcripta, & trecentorum martyrum, de quibus Rom. Martyrologium nono Kal. Septemb. in hunc modum ſcribit: *Carthagine ſanctorum trecentorum martyrum tempore Valeriani & Gallieni: qui inter alia ſupplicia, cùm Præſes fornacem calceariam accendi iuſſiſſet, & in præſentia eius prunas cum thure exhiberi, atque illis dixiſſet: Eligite è duobus vnum; aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui; aut in calcem demergimini: fide armati, Chriſtum Dei Filium confitentes, ictu rapidiſſimo ſe iniecerunt in ignem, & inter vapores calcis in puluerem ſunt redacti: ex quo, candidatus ille beatorum exercitus, Maſſa candida meruit appellari.*

Quomodo SS. martyres terrâ obruerentur.

SCIRI hîc debet, priuſquam ſermonem noſtrum aliò transferamus, Chriſtianos tormentis obnoxios, non ſemper fuiſſe toto corpore in profundas foſſas, vt terra lapidibúſque obruerentur, iniectos, ſed plurimùm: legimus namque in Actis nuper citatis ſanctorum Philemonis & Marcelli, fuiſſe eos ob hanc eamdem cauſam vſque ad renes in ipſiſmet incluſos. percurrere poterit lector, ſi volet, eorum res geſtas.

De modis quibus iidem Chriſti martyres in mare, vel flumina, proiiciebantur.

FIGVRA DECIMA TERTIA & DECIMA QVARTA.

NON vno eodémque modo, ſed variis in profluentem deiecti leguntur ſancti martyres: quandoque ingentibus ſaxis, aut plumbeis ponderibus ad collum, vel pedes, aut eorum dexteram alligatis, vt Sabino, Agapio, Agathopodi, Theodulo, Floriano, Thecuſæ, Alexandræ, Claudiæ, Fainæ,

Euphraſiæ, Matronæ, Iulittæ, Symphoroſæ, Claudio, Rufi-
næ, Secundæ, Mamanti, Heſychio, Lucianóque contigit.
Quandoque verò, vel ligatis manibus, ac pedibus, vel reti-
bus inuoluti, aut plumbeis loculis concluſi, vel culeo inſuti.
Teſtantur hæc beatorum Fauſtini & Iouitæ Acta à veteribus
manuſcriptis relata, & Hermilli, Vlpiani, Stratonici, Nico-
ſtrati, Symphoriani, & aliorum.

Monemus hîc lectorem, fuiſſe culeum antiquiſſimum tor- De culeo.
menti genus: eius ſiquidem Plautus (teſte Nonio) meminit
in Vidularia his verbis:

Iube hunc inſui culeo, atque in altum deportari, ſi vis annonam bonã. Culeus quid ſit.
Porro culeus, de quo hîc agimus, vter, ſeu ſaccus fuit ex co-
rio factus, quo cum cane, gallo, ſerpente, ſimia, vel aliqui-
bus ſaltem horum inſutus parricida, præceps, ex legis Ro-
manorum decreto, in mare, ſeu flumen dabatur. Vnde an-
tiquis temporibus (veluti ex Cicerone cognoſci poteſt lib. 2.
de inuent.) huiuſmodi lex in parricidas extitiſſe videtur: *Si
quis parentes occiderit, aut verberauerit; ei damnato obuoluatur os* Soleæ ligneæ e-
folliculo lupino, ſolea lignea pedibus inducantur, & in carcerem du- rant compedes.
*ctus, ibi ſit tantiſper, dum paretur culeus, in quem coniectus in
profluentem præcipitetur.* hucuſque Cicero. Verùm lata fuit lex
iſta (vt Sigonius docet lib. 2. de iudiciis cap. 31.) ad homines
deterrendos, ne L. Hoſtij exemplo moti, qui primus om- Hoſtius poſt An-
nium, poſt Annibalis bellum, patrem interfecit, ſuis genito- nibalis bellum
ribus & ipſi, ferro, aliíſve modis vitam eriperenr. Itaque primus omnium
cùm bello Cimbrico anno DCXL. Poblicius Malleolus ma- patrem interfe-cit.
trem interemiſſet, hoc cruciatus genere affectus fuit. Scribit
hæc Liuius lib. 18. hoc modo: *Poblicius Malleolus, matre inter-
empta, primus omnium inſutus culeo, in mare præcipitatus eſt.* &
in Rhetor. ad Herennium: *Malleolus iudicatus eſt matrem necaſſe:
ei damnato, ſtatim folliculo lupino os obuolutum eſt, dum culeus, in
quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur.* hæc ibi.
Poſt hæc tulit Pompeius in parricidas, dum Conſulatus di-
gnitate potiretur, eiuſmodi legem: *Prætor, qui ex hac lege quæ-
ret, de eius capite quærito, qui patrem, matrem, auum, auiam, fra-
trem, ſororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, ami-
tam, materteram, conſobrinum, conſobrinam, vxorem, virum, ge-
nerum, ſocrum, vitricum, nouercam, priuignum, priuignam, pa-
tronum, patronam occiderit, cuiúſve dolo malo id factum erit, ſiue
conſcius fuerit: déque eius matris capite quærito, quæ filium, fi-*

liámve occiderit; & aui eius, qui nepotem occiderit, eiúſque qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare. is ſi confeſſus erit, virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia; deinde in mare profundum culeus iactetur. Meminit huiuſce Pompeiæ legis Iuſtinianus Inſtit. tit. de pub. iud. §. alia deinde. dum ait: *Lege Pompeia de parricidio cauetur, vt ſi quis parentis, aut filij, aut omnino affinitatis eius, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparauerit, ſiue clam, ſiue palam id auſus fuerit, necnon is, cuius dolo malo id factum eſt, vel conſcius criminis extitit, licèt extraneus ſit, pœnâ parricidij puniatur; & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij ſolemni pœnæ ſubiiciatur; ſed inſutus culeo, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſecundùm quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur. Si quis autem alias cognatione, vel affinitate coniunctas perſonas necauerit, pœnam legis Corneliæ de ſicariis ſuſtinebit.* Ex his itaque iam liquet, illud ipſum culei tormentum à maioribus (veluti Cicero orat. pro Roſc. Amer. indicat) excogitatum fuiſſe, à Pompeio verò auctum, atque in propinquorum, patronorúmque interfectores extenſum. Cicero ſiquidem loco citato, rationem reddens, cur maiores viuum hominem culeo inſutum in flumen deiici præceperint, nullam prorſus mentionem facit de gallo, ſimia, vipera, & cane, imò nec etiam aliis in locis, quibus de hoc eodem ſupplicij genere, prout antiquioribus vſui erat, locutus eſt. auxit igitur illud Pompeius, & non adinuenit. Ceterùm an neceſſarium extiterit, culeo omnia hæc animalia vnà cum reo inſuere; putamus non fuiſſe: tum quia non ſemper horum omnium habetur ſermo, cùm de culeo lege Pompeia aucto reperitur ab antiquis facta mentio: tum etiam quoniam in Actis SS. martyrum hoc ſupplicio affectorum, præſertim Vlpiani, non legitur omnia ſimul cum ipſis in eo incluſa fuiſſe, ſed aliqua dumtaxat. vide Euſebium ipſorum Acta referentem hiſtor. lib. 8. cap. 15. Huiuſmodi tam immani, támque acerbo cruciatu punitus fuit (vt Valerius Max. teſtatur lib. 1. cap. 1.) Attilius Triumuir, eò quòd ſacros libros deſcribendos tradidiſſet. Et inſuper cùm iam (Paulo teſte lib. 5 ſenten. tit. 24. ad l. Pomp. de parricid.) ob nimiam eius atrocitatem ampliùs vſui non eſſet; Chriſtianorum tamen aliqui, eo iterum adhibito, martyrij co-

De virgis ſanguineis vide infra.
Animalia quæ in culeo inſuebantur.
Pompeius non inuentor culei.
In culeo non omnia animalia in lege Pompeia de parricid. recenſita inſuebantur.
Attilius Triumvir culei ſupplicio damnatus.
Culeus licèt in vſu ampliùs non eſſet, tamen ad Chriſtianos excruciãdos iterum adhibitus fuit.

ronâ donati fuere. Si plura de culeo deſideras, lege Ciceronem pro Roſc. Amer. Sueronium in Octauio c. 35. Senec. de clem. lib. 1. cap. 23. & controuerſiarum 7. conrrouerſia 1. itémque C. Theodoſiani lib. 9. tit. de parricidis, Cuiacium paratitl. lib. 9. titul. 17. Fulgentium de priſco ſermone, Iſidorum lib. 6. etymol. cap. vlt. Briſſonium de verborum ſignificationibus, Sigonium de iudiciis lib. 2. cap. 31. & lib. 3. cap. 17. & Notas in Romanum Martyrologium in menſem Aprilis. In Cuiacio, loco citato, nempe titulo 17. *De his qui parentes vel liberos occiderunt*, hæc de culeo narrantur: *Lex Pompeia de parricidio magis recepta eſt, tamquam nouiſſima, & latiſſima, quæ pro parricidio etiam habet cædem cognatorum ex tranſuerſo, & adfinium, & patronorum, & coniugis. Propriè enim parricidium committitur tantùm inter parentes & liberos: quod conſtitutioni huius tituli magis placet puniri more maiorum, primitus virgis ſanguineis cæſo parricida, l. pen. ff. ad l. Pomp. de parricid. quales virgas lictorum eſſe apud Plinium legi ex frutcibus ſanguineis, qui arboribus infelicibus adnumerantur; vt quemadmodum alij crimino ſi more maiorum arbori infelici ſuſpenduntur, ita parricidæ ante ſupplicium cædantur fuſtibus ex arbore infelici decerptis; deinde inſuantur culeo, cum impiis animalibus impij homines, vt inter ſententias Imperatoris Hadriani legi, quæ referunt etiam parricidam inſutum culeo cum illis animalibus plauſtro iuncto bobus atris in mare deportari, & abiici in profundum. Noua hæc pœna dicitur in Inſtitutionibus, quæ eſt vetuſtiſſima.* & paulò pòſt: *Valde notandum eſt quod Suetonius ſcribit in Auguſto, hoc acerbiſſimo ſupplicio nec conuictum etiam manifeſti parricidij reum adfici ſolitum, niſi vltro confiteretur.* Atque hæc quidem de culeo Cuiacius. Nunc ad alia pergamus.

Virgæ ſanguineæ

Arbores infelices.

Quid paterentur noxij, priuſquam culeo inſuerentur.

Quomodo ducerentur culei ſupplicio afficiendi ad mare.

De Chriſtianis Orthodoxis ab hæreticis in mare, vel flumina deturbatis, aut terrâ obrutis.

SCRIBIT Victor Vticenſis Epiſcopus, fuiſſe Catholicos in naues fractas, ſine velo, atque remigio, ab hæreticis Arianis impoſitos, & ſic vaſtiſſimo mari ad certiſſimum naufragium commiſſos. Quocirca inquit: *Tunc verò memoratæ vrbis Epiſcopum*, id eſt Carthaginis, *Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quoduultdeus, & maximam turbam clericorum nauibus fractis impoſitam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos Do-*

SS. martyres in naues fractas ſine velo remigióque impoſiti, maris diſcrimini committebantur.

minus, miſeratione bonitatis ſuæ, proſpera nauigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus eſt ciuitatem. Senatorem atque honoratorum multitudinem primo exilio crudeli contriuit. ita Victor de perſecutione Wandalica lib. 1. Atqui non modò ab antiquis hæreticis comperimus fuiſſe Catholicos in aquas coniectos, ſed ab his recentibus etiam. Atteſtatur hoc Theatrum crudelitatis hæreticorum noſtri temporis his verbis: *Cùm vrbem Flandriæ Audenardam Geuſij ſtratagemate occupaſſent; ſacerdotes omnes eiuſdem prouinciæ virtute & doctrina celebres corripuerant, & in caſtellum adduxerant: hos inter, magiſtrum Petrum, virum venerabilem, & qui ætate omnes antecedebat, poſt illata ei varia opprobria & contumelias, veſtibus ſpoliatum, pedibus manibúſque in dorſum colligatis, per feneſtras in fluuium præcipitem dederunt. Orabat is, dum caderet, alacri animo & conſtanti: Fiat voluntas tua, Domine.* Et mox: *Eodem modo ſubſequenter præcipitati ſunt, venerabilis Ioannes Paulus, & reliqui; è quorum numero magiſter Iacobus prouectiſſima ætatis, & debilis, nec natandi peritus, ſublatus vndis non longè ab eo loco, ereptus eſt, & vitam habuit incolumem.* & non multò pòſt: *Vrſula Taleſia in Beguinagio Harlemienſi religioſa virgo, poſt patrem grandæuum, eius ciuitatis magiſtratum gerentem, pluréſque alios cum eo Catholicos magni nominis viros laqueis ſuffocatos, ſub patibulum perducta eſt, & rogata num fidem, Orthodoxámque religionem deſereret, & militi cuidam nuberet: quod cùm conſtantiſſimè negaret, illico in aquas proiecta eſt, & ſubmerſa.* Et pòſt: *Hoc vnum etiam aduertes, hæreticos ciuitatis Nemauſi in Linguadoca ſitæ, ingentem Catholicorum multitudinem pugionibus trucidatam, & ſemimortuam in eiuſdem vrbis puteum ſatis amplum atque profundum ſubmerſiſſe, & eumdem duabus vicibus compleuiſſe.* & hæc quidem liber Crudelitatum hæreticorum noſtri temporis. De Catholicis autem terrâ obrutis hæc idem ſcriptis mandauit: *Huguenoti presbyterum quemdam, Petrum nomine, ex parœcia Beaulienſi, capite dumtaxat extante, viuum defoderunt; & inſuper ſacerdotes quoſdam in Belgica non longè ab Ypris, eodem modo, viuos terra & lapidibus obruerunt; metáſque è capitibus interuallo relicto conſtituentes, ad illa globos lapideos, aut ferreos ludi gratiâ dirigebant.* & hactenus de his.

Vrſulæ virginis noſtræ ætatis cōſtantia atque martyrium.

Reliquum eſt deinceps, vt alia cruciamentorum pœnarúmque genera comprobemus, declaremúſque. Quamobrem loquemur primo loco de martyribus, qui publicè veſtibus

ſpoliati per ciuitates ducebantur; deinde de illis, qui vel in carceres vitreis ſtratos, vel teſtaceis fragmentis, vel etiam muricis ferreis, nudis corporibus incluſi, miſerandum in modum illorum aculeis torquebantur, vel ad duarum arborum ramos alligati diſcerpebantur. tertio & poſtremo loco de martyribus habebitur ſermo vel in exilium pulſis, vel ad opus, aut ad metalla damnatis.

Suppliciis primi alteriúſve generis teſtimonio ſunt Acta SS. martyrum Carpi & Papili à Metaph. recitata Surij tom. 2. Mennæ ab eodem ſcriptore Surij tom. 6. Alexandri à Lipom. tom. 7. Vincentij à veteribus noſtræ bibliothecæ manuſcriptis, Petri & Marcellini à Petro lib. 5. cap. 74. Victoris & Coronæ à veteri noſtræ bibliothecæ manu exarato codice, & à Metaph. apud Lipom. tom. 7. & Surium 3. item Stratonis à Menologio quinto Id. Septembris, vbi hæc verba referuntur: *Natalis B. martyris Stratonis, qui in duobus cedris ligatus, & in duas partes ſectus pro Chriſti confeſſione, cum cæleſtibus coniunctus eſt.* hæc ibi.

De martyribus qui vel publicè veſtibus denudati incedebantur, vel aculeis teſtaceorum, vel conſimilium torquebantur, vel ad duarum arborũ ramos alligati diſcerpebantur.

De pluribus Chriſti fidelibus hoc eodem cruciatu affectis ſcribit Euſebius lib. 8. cap 9. Nicephorus eum ſecutus lib. 7. cap. 8. & Metaphr. in rebus geſtis paulò antè citatis B. Victoris, & Coronæ.

De Catholicis, ac præcipuè religioſis, & ſacerdotibus, quorum ventres ab hæreticis noſtro ſæculo diſſecti ſunt.

NON ſolùm ab antiquis idololatris, atque hæreticis Chriſtiani martyres variis diuerſiſque modis diſſecti fuere, vt nuper & paulò ſuperiùs aperuimus, ſed etiam ab hæreticis noſtri temporis. Perueniant, quæſo, ad aures noſtras, quæ de his ſcribit Surius in commentario rerum ſuo tempore in orbe geſtarum, & Theatrum crudelitatum. Sunt autem eiuſmodi: *Huguenoti apud S. Macarij in Vaſconia presbyterorum ventres ferro diſſecuerunt, & eorum inteſtina paulatim baculis circumuoluta euulſerunt. In vrbe Mancina, capto ſacerdoti admodum grandæuo, amputarunt pudenda, atque igne toſta, in os ingeſſerunt; & vt viderent quomodo ea digereret, viuenti ventriculum diffiderunt, atque ita interemerunt. Cuidam alteri presbytero, vt erat viuus, Iuliani tyrannidem ſæuitiámque imitantes, ventrem ferro aperuerunt, & impoſita auena pabulum equis ſuis præbuerunt.*

Hæc ſunt ſacerdotum Chriſti tormenta: ſed audi adhuc alia, dira quidem & ipſa, atque aſpera; vt nihil eorum, quæ ad Catholicorum pro vera religione occiſorum gloriam pertinent, prætereamus. *In parochia Caſſenouili, vicina Engoliſmæ, Huguenoti presbyterum quemdam, Ludouicum nomine, virum, teſtimonio habitatorum eiuſdem loci, optimæ & exemplaris vitæ, apprehenderunt, cuius manus aheno oleo bullienti pleno tam ſæpe ac diutinè immerſerunt, quouſque auulſa ab oſſibus caro exciderit: nec crudeli eo ſatiati tormento, infuderunt ori eiuſdem bulliens iſtud oleum; & cùm nondum mortuum viderent, glandibus plumbeis, è fiſtulis ferreis emittentes, interemerunt. Ceperunt & alium presbyterum, Colinum nominatum, quem, abſectis pudendis, ciſtæ perforatæ incluſere: deinde tantam bullientis olei vim ei ſuperinfudere, vt animam, his tormentis victus, exhalaret. In parœcia vulgò appellata, Riuieres, alium quemdam comprehenderunt, cui adhuc viuo linguam, mento perforato, euulſerunt, tum inde trucidarunt: ſimiliter & alium, cui nomen Ioannes, excoriatis candenti ferro pedibus, iugularunt. Simon Vicarius S. Hilary Monticrienſis, ſexagenarius, vir omni virtute refertus, ab eo, quem fidum ſibi crediderat, proditus, captiuus Engoliſinam tractus eſt; coactuſque ingenti pecunia vitam redimere, non ſine magna difficultate mulctam impoſitam exſoluit. Redeunti, & in libertatem, vt putabat, reſtituto, emiſſus perditorum quiſpiam per portam S. Petri, qui conſequeretur, occurrit; qui apprehenſo, tamquam carnifex, oculos eruit, & linguam ſub mento euulſit. Arnoldus Durandeau Vicarius Flcacenſis, octogenarius, ab Huguenotis iugulatus, in fluuium proiectus eſt. Franciſcus Raboteau, in parœcia Foucquebrunenſi Vicarius captus ab Huguenotis, adiunctus eſt, & alligatus bobus plauſtrum trahentibus, atque tot & tam grauibus ſtimulis adactus, & flagellis cæſus eſt, vt inter ea tormenta tandem expiraret. Eo tempore, quo Auriacus Princeps Ruremundam Geldriæ vrbem occuparat, milites eius monaſterium Carthuſienſe vi inuaſere, exclamantes Gelt, Gelt, ea vociferatione ſignificantes ſe velle pecunias. In introitu interempti ſunt fratres laici tres, Albertus, Ioannes, & Stephanus Ruremundenſis: inde in templum proruentes, venerabilem Priorem Ioachinum, precibus vnà cum ceteris fratribus intentum, offendunt: eum cùm vulneribus afflixiſſent, inde extraxerunt; monachi ibidem quatuor necati, nempe Ioannes & Seuerus ſacerdotes, Henricus & Federicus diaconi; reliqui grauiter vulnerati relicti ſunt. Vincentius Hercquius monachus laicus, ab iiſdem captus, & in templum raptus,*

flexis

flexis genibus poſtquam oraſſet; Domine Deus, merear, quæſo, fratribus meis morte & martyrio ſociari: militum vnus, eo audito, ingens illi in caput vulnus inflixit; adeò vt ſanguine murus, vti adhuc conſpicitur, admodum altè conſpergeretur. Poſt hæc in plateas attractum, num religionem deſerere, & partes ſuas tueri vellet, rogauit, vitam ei ſeruaturum incolumem. Negauit id ſe facturum monachus conſtantiſſimè, & ſe mori malle, quàm fidem negare, profeſſus eſt: precatúſque, Domine, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt; ab iiſdem virtutem ſuam ſtupentibus, ſclopetorum (vt dicunt) miſſilibus, trucidatus eſt. Eodem tempore Paulus à Valuich Reuerendiſſimo D. Ruremundenſi D. Guilhelmo Lindano à ſacris, qui ad id monaſterium, vt in hac feliciſſima turbà moreretur, confugerat, ibidem interemptus eſt. In ciuitate Engoliſma frater Ioannes Auril, ex Ordine S. Franciſci, octogenarius, ab Huguenotis, capite bipenni diuiſo, in latrinas proiectus eſt. Ampliùs ab iiſdem Satanæ miniſtris, diuerſis in locis, ſacerdotibus pluribus Deo miniſtrantibus nares & auriculæ amputatæ fuerunt, oculíque eruti. Quocirca tanta extitit Huguenoti cuiuſdam impudentia, atque barbaries, vt ex abſectis presbyterorum auriculis torquem ſibi confecerit, & eo tamquam facto ſtrenuo coram primariis gloriaretur. Ad hac, iidem Huguenoti in Alcmaria Batauiæ vrbe, fratri Engelberto à Burgo, Ordinis S. Franciſci, inter alia, quæ paſſus eſt tormenta, viuo corpus, thoracis in morem, cultellis conſciderunt. Apud Goudam Batauiæ ſimiliter vrbem, Dominus de Lumay, duobus comprehenſis monachis, Ioanne nempe Riceſtellio collationis domus (vt vocant) patre, & Hadriano eiuſdem domus Procuratore; eos nudari iuſsit, & à militibus ſuis gladiorum ictibus, ſe inſpiciente, compelli, vt per denſiſſima currerent ſpineta; demum laceratis corporibus, & effuſo ſanguine, nihil motus, trucidari mandauit. Inſuper Caluiniſtæ hæretici in Angliæ Regno commorantes, presbyteros Catholicos, diuino ſacrificio peragendo intentos, trahunt, & vt ſacras induti ſunt veſtes, equis impoſitos meridionali tempore, funalibus ardentibus prælatis, in ludibrium per plateas circumducunt. Iiſdem auriculas candenti ferro perforant: quibus etiam, ſicuti & aliis religioſis hominibus, ludibrio in theatro publicè expoſitis, capita nu- mellis, vt vocant, inſerunt, ſimúlque aures ad tabulata clauis affigunt: & hoc quidem non aliam ob cauſam, niſi quòd de innocentia martyrum, cæterorúmque Catholicorum, qui propter Orthodoxam fidem affliguntur, bene ſentiant, & loquantur. Atque hæc (vt alia miſſa faciamus, quæ ſuperioribus capitibus diximus,

Hoc tormenti genere affecta fuit, Diocletiano imperante, ſancta Chriſti virgo Charitina.

quæve inferiùs loco ſuo dicturi ſumus) hæretici aduersùs noſtros in Anglia, Hibernia, Galliis, & Belgicis.

Age verò, quoniam tempus iam eſt, redeamus ad alia tormenta martyrum antiquorum declaranda, comprobandáque tum quæ paulò antè, tum etiam quæ initio capitis propoſueramus; nimis enim forſitan ab his digreſſi ſumus.

De martyribus in exilium pulſis.

Ceterùm de cruciamentis ac pœnis vltimo loco poſitis, & primùm de martyribus exilio mulctatis, fidem faciunt Dio in Domitiano, dum de Flauia Domitilla * loquitur, Tertullianus in apologet. c. 12. Cyprianus epiſt. 77. ad Nemeſianum, & ceteros in metallo conſtitutos, Hieronym. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. in Ioanne Apoſtolo, & innumeræ ſanctorum martyrum res geſtæ, ſpeciatim Clementis Papæ relatæ à nobis in hiſtor. noſtra SS. Virg. Rom. Cornelij à veteribus manuſcriptis, & à Surio tom. 7. Cypriani à Pamelio, & à codicibus peruetuſtis manu exaratis, Pontiani Papæ à Martyrologiis 13. Kal. Decemb. Bibianæ, & Demetriæ, ac Seueræ virginum à nobis in hiſtoria noſtra SS. Virginum Rom. & aliorum.

* Vide quæ de hac Flauia Domitilla ſcripſimus in hiſtor. noſtra SS. virg. Rom.

De Chriſtianis verò ad opus damnatis, ad fodiendum, portandúmque arenam, lapides, & conſimilia, res geſtæ Sanctorum à nobis in hiſtor. noſtra SS. Virginum Rom. deſcriptæ, videlicet Clementis Papæ, Seueræ virginis, ac Papiæ & Mauri militum.

De illis denique qui ad metalla, Tertullianus, & Cyprianus locis quorum nuper meminimus, Clem. Rom. lib. 5. Apoſtol. conſtit. cap. 1. Euſebius hiſtor. Eccl. lib. 8 cap. 15. 17. 18. 19. 22. 24. 27. & quamplurima Sanctorum Acta, videlicet Heliæ & ſociorum à Romano Martyrologio 14. Kal. Martij, & ab Euſebio hiſtor. Eccleſ. lib. 8. cap. 22. Siluani Epiſcopi, & aliorum trigintanouem à Nicephoro lib. 7. cap. 16. Nemeſiani, Paphnutij, atque Spiridionis à Rom. Martyrologio variis in locis. De Nemeſiano & ſociis quarto Id. Septemb. hoc modo: *In Africa natalis ſanctorum Epiſcoporum, Nemeſiani, Felicis, Lucij, alterius item Felicis, Littei, Poliani, Victoris, Iaderis, Datiui, & aliorum, qui ſub Valeriano & Gallieno exurgente perſecutionis rabie, ad primam confeſsionis Chriſti conſtantiam, grauiter fuſtibus caſi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, glorioſæ confeſsionis agonem conſummarunt.* De ſancto Paphnutio tertio Id. eiuſdem menſis ſic:

Digitized by Google

In Ægypto S. Paphnutij Epiſcopi, qui vnus fuit ex iis confeſſoribus, qui ſub Maximiano Imperatore dextro oculo effoſſo, & ſiniſtro poplite exciſo, ad metalla damnati fuerunt: deinde ſub Conſtantino Magno aduerſus Arianos pro fide Catholica ſtrenuè decertauit: & demum multis coronis auctus in pace quieuit. De S. Spiridione 19. Kal. Ianuarij ita: *In Cypro inſula natalis B. Spiridionis Epiſcopi, qui vnus fuit ex illis confeſſoribus, quos Maximianus, dextro oculo effoſſo, & ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metalla damnauerat. Hic prophetiæ dono, & ſignorum gloriâ inclytus fuit, & in Nicæno Concilio philoſophum Ethnicum Chriſtianæ religioni inſultantem deuicit, & ad fidem perduxit.* Scribit præterea de Chriſtianis ad metalla damnatis S. Athanaſius ad ſolitariam vitam agentes, in hunc modum: *In ſumma, ita erant Ariani feri & acerbi in omnes, vt carnifices, homicidæ, nefarij delatores, malefici, & quiduis potiùs quàm Chriſtiani ab omnibus vocarentur: quippe qui Scythas imitantes, rapuerint Eutychium ſubdiaconum, virum probè Eccleſiæ inſeruientem; quem primum ſcuticis vſque ad mortem cærauerunt verberari, deinde ita moribundum in metallum mitti, & non in quoduis metallum, ſed in id quod Phæno appellatur, in quod cùm homicida condemnatur, nonniſi ad pauciſſimos dies ſupereſſe poteſt: & quod immanius eſt, ne paucis quidem horis ad curationem vulnerum conceſſis, hominem ſtatim in metallum deportarunt; prædicantes, ſi hoc fieret, omnes in metu futuros, & ſecum conſociatum iri. Cęterùm ille non longè auectus, cùm imbecillior eſſet, quàm vt ad metallum perduci poſſet, ex dolore vulnerum in itinere deceſſit. Et ita ille cum gaudio mortuus eſt, poſſidens gloriam martyrij.* hæc Athanaſius. Cui proximè accedere videtur Petrus Alexandrinus apud Theodoretum hiſt. lib. 2. cap. 20. dum ait: *Mandatum dabatur à Palladio vrbis illius Præfecto, homine ſuperſtitioni deditiſſimo, vt omnino Catholici lacrymari deſinerent. Vnde multi qui plorabant, hique præ diuino zelo ſtrenui Eccleſiæ propugnatores, arrepti primùm in cuſtodiam coniiciebantur: deinde verberibus cæſi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla, quæ ſunt in Phenneſo, & Proconneſo, amandabantur. Inter quos complures erant monachi, ad numerum vigintitrium, qui, quo ſeueram diſciplinam excolerent, in ſolitudine habitarunt. Quibuſcum vnà diaconus, qui litteras tum conſolationis tum communionis à Damaſo Epiſcopo Romano ad nos attulerat, manibus à tergo colligatis à lictoribus palam, tamquam maleficus inſigniter improbus, trahebatur: qui acerbioribus tormentis, quàm quiſquam homicida, excruciatus fuit: cuius ceruices*

Eutychius ſubdiaconus ad necem flagellatus, deinde in metallum letale damnatur.

Palladius Præfectus impius.

Quid in Damaſi Papæ diaconum, Ariani.

lapidibus & plumbo crudeliter verberatæ erant. Poſtremò naue ad traiciendum conſcenſa, eodem modo cum eo atque cum ceteris factum eſt. Nam omni ope ac ſubſidio deſtitutus erat, & propterea frontem ſigno ſanctæ crucis conſignauit; ſicque metallis æneis, quæ ſunt in Phenneſo, traditus eſt. & de Catholicis ad metalla damnatis hæc Petrus. ſed iam reliqua proſequamur.

De martyribus exilio damnatis.

RELEGARI ſolebant fortiſſimi bellatores Chriſti in inſulas, veluti Tertullianus tradit in Apolog. c. 12. & res geſtæ Sanctorum, nempe Pontiani Papæ, Cæciliæ virginis, Flauiæque Domitillæ item virginis, & alterius eiuſdem nominis, quæ Flauij Clementis martyris vxor extitit; & aliorum. Fit mentio de hoc exilij genere à Marciano in l. exilium ff. de interdict. & relegat. vbi docet triplex fuiſſe exilium, videlicet aut certorum locorum interdictionem, aut latam fugam, vt omnibus locis præter certum locum interdiceretur; vel demum inſulæ vinculum, hoc eſt, in inſulam relegationem: & in hanc qui exilio mulctati erant, inde egredi nullo pacto eis licebat, l. relegat. ff. eo.

Porro hæc eadem pœna poſt relegati etiam mortem manebat: nam ſi quis in inſulam relegatus ibi è vita migraſſet, aliò corpus eius transferri, inconſultóque Principe tumulo mandari nequibat, l. 2. ff. de cadau. punit. Præterea aliis quoque pœnis hoc modo in exilium eiecti afficiebantur. Siquidem vel deportati, vel relegati erant in inſulas. Si primum; tunc, Vlpiano teſte, l. eius qui. §. 1. & §. ſequenti, ff. qui teſtam. fac. poſ. non ſolùm ſingulis ſuis bonis, domo, & patria priuabantur; ſed etiam ciuitate Romana, ſi ciues Romani erant, ſpoliabantur. vide, ſi libet, legem 1. ff. de bon. damnat. Si verò relegabantur; vel ad tempus, vel in perpetuum, l. relegatorum. §. hæc eſt. & l. relegatus. ff. de interdict. & relegat. l. quod ſi fortè. §. quid ergo. ff. de ſolut. Si ad tempus: tunc eiuſmodi relegatis neque bona, neque bonorum partem adimi debuiſſe, reſcriptis quibuſdam cauebatur. Vlpianus enim dicta l. relegatorum. §. hæc eſt. teſtatur, eorum ſententias reprehenſas fuiſſe, qui ad tempus exilio mulctatis bona, vel partem bonorum ademiſſent; ſic tamen, vt non debilitarentur ſententiæ quæ ita prolatæ fuiſſent. Ac rele-

Digitized by Google

gationis abſque bonorum ademptione extat exemplum apud Arianum Epithet. lib. 1. cap. 1. Perpetuò autem relegatorum poterat pars ſaltem fiſco adiudicari. ſic Marcianus l. relegati. ff. de interdic. Et l. in ratione. §. cùm quidam. ff. ad leg. Falc. proponitur quidam, qui dimidia bonorum parte ſpoliatus in exilium miſſus fuit. Hoc idem oſtendere videtur Paul. l ſi quis aliquid. §. ſi abortionis. & §. ſi quis inſtrumentum. ff. de pœnis. Atque hæc de relegatorum pœnis, de quibus adhuc plura tradit Briſſonius lib. 5. de formulis.

Ceterùm legimus in ſancto Athanaſio, aliiſque patribus, quamplurimos Orthodoxæ fidei ſectatores fuiſſe ab Arianis, ſub Conſtantio præſertim & Valente Imperatoribus, atque ſub Hunerico Wandalorum Rege hæretico, exilio mulctatos, & variis inſuper diuerſiſque pœnarum probrorúmque generibus, cùm in itinere, tum in exilij loco, miſerandum in modum affectos. Quamobrem hæc ille in apologia de fuga ſua: *Quis igitur locus reliquus, qui non ipſorum*, id eſt Arianorum, *ſæuitiæ monumenta poſſidet? Quæ Eccleſia non luget eorum inſidias? Nónne Antiochia ob Euſtratium confeſſorem & orthodoxum virum ademptum in mærore eſt, & Balanea ob Euphrationem, Bultus & Antaradus ob Cymatium & Carterium, Hadrianopolis ob Eutropium Chriſto addictiſſimum, deinde ob Liuium, qui ipſorum opera ſæpe & catenas geſtauit, & in catenis mortem obiit? Nónne Ancyra Marcellum luget? Beræa Acyrum? Gaza Diaſdepan? quos ſæpius antea contumelioſè habitos, tandem ſuis dolis in exilium eliminarunt. Nónne itidem Theodulum & Olympium, Thraces? Quid autem de nobis ipſis, noſtris presbyteris dicam?* Et pòſt: *Arianorum ſcelera qui vmquam condignè extulerit? aut tanta memoria, vt quæ ab illis deſignata ſunt, plenè recenſeat? Pacata enim hactenus Eccleſia, populóque in ſacris Synaxibus orante, Liberius Romanus Præſul, Paulinus Galliarum Metropolitanus, Dionyſius Italiæ, Lucifer Sardiniæ, Euſebius item Italiæ, omnes boni & præclari Epiſcopi, veritatis præcones, aguntur, raptantur, & in exilium profligantur, nulla prorſus de cauſa, niſi quòd non adſtipulati ſunt Arianorum hæreſi, & illorum calumniis aduersùs nos fictis ſubſcribere noluerunt. Nam de magno & grauiſſimæ ætatis viro, eodémque confeſſore Oſio, qui verè Oſius eſt, id eſt ſanctus, ſuperfluum arbitror mentionem facere; cùm nullus fortaſſe ſit, quin cognitum habeat eum ab iſtis quoque in exilium miſſum eſſe*, &c. ac paulò pòſt: *Ceteros deinde omnes, quotquot comprehenderant, in eam partem Ægypti,*

Euſtratius in exilium actus cum multis aliis Epiſcopis.

Liuius in catenis mortuus eſt.

Epiſcopi in exilium pulſi, quòd contra Athanaſium ſcribere nollent.

quæ Magna Oſis appellatur, relegarunt. Corpora autem defunctorum initio ne ſuis quidem dari voluerunt, eáque pro libidine ſui conſilij inſepulta clanculùm habuerunt, quòd putarent ſuam crudelitatem latere poſſe. Qua in re vecordes illi magno errore mentis tenebantur: neceſſarij enim amicíque interfectorum, de confeſſione quidem ſuorum læti, ſed mæſti admodum de ſubductis corporibus, nec tacentes facti immanitatem, cauſam dedere, vt ſcelerum tragœdiæ ſemper in maius diuulgarentur. Illi autem ex Ægypto & Africa hos Epiſcopos ad fugam exiliúmque compulerunt, Ammonium, Muum, Gaium, Philonem, Hermem, Plinium, Pſinoſirim, Pelamonem, Agathonem, Anagamphon, Marcum, Ammonium, & alterum eiuſdem nominis, Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum; presbyteros verò, Hieracem, & Dioſcorium: quos tanta acerbitate raptauerunt, vt quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam pluribus quàm triginta Epiſcopis. Item & in epiſtola ad ſolitarios idem Athanaſius: *Imperatore Conſtantio prompto ad omnia quæ ipſi Ariani vellent, efficere, vt ab Alexandria in Armeniam duo presbyteri & tres diaconi relegarentur. Arium porro, & Aſterium, alterum in Petra Palæſtines, alterum in Petra Arabiæ Epiſcopum, qui ab ipſis deſciuerant, non ſolùm in ſuperiorem Africam relegarunt, ſed vt contumelias paterentur, operam dedere. Lucij porro Hadrianopoleos Epiſcopi manus, ceruicémque, plurima aduersùs ipſos audaciâ vtentis, & impietatem redarguentis, iterum vti priùs ferro vinxerunt, vinctúmque in exilium deportarunt, ibíque (quos ipſis minimè latet) extinctus eſt.* Et paulò pòſt, loquens de Lucifero Metropolitano Sardiniæ, aliiſque Epiſcopis, ait: *Excuſſo igitur Sancti puluere, & oculis in Deum reiectis, nec Cæſaris minas verebantur, neque ob ſtrictos enſes veritatem prodiderunt, & exilium veluti miniſterij ſui officium acceptarunt, pergentes de loco in locum, & de ciuitate in ciuitatem: & nihilominus, quamquam in vinculis eſſent, euangelizabant, piam quidem fidem deprædicantes, Arianam autem hæreſin anathemate damnantes.* Atque hæc quidem S. Athanaſius. Petrus verò Alexandrinus apud Theodoretum hiſtoriæ lib. 4. cap. 20. de Catholicis ſub Valente in exilium pulſis hæc narrat: *ſententiam de piis, populo vniuerſo ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus prouincialium largitionum Comes, vt Alexandria exacti, ad incolendum Heliopolim, vrbem Phœniciæ, tranſportarentur: in qua quidem vrbe ne vnus quidem habitabat, qui Chriſti nomen audire (omnes enim ſimulacra colebant) omnino ſuſtineret. Itaque iuſſis*

Epiſcopi multi ex Ægypto & Africa in exiliũ pulſi.

Preſbyteri, diaconi, & Epiſcopi in exilium pulſi.

Ferro vincti.

Qualis fuerit hic Magnus, habes in hac eadem Petri epiſtola.

illis actutum nauem conſcendere, ille ipſe in littore ſtans (nam in balneis publicis, quæ propè inde aberant, eos condemnauerat) enſem diſtrictum illis oſtendit, ratus quidem ſe terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio Spiritus, infeſtos dæmones ſæpenumero vulneraſſent. Dat igitur mandatum, vt iam, cùm neque commeatum vllum in nauem impoſuiſſent, neque quicquam omnino haberent, quo exilij moleſtias ſubleuarent, inde ſoluant. & paulò pòſt: *Cùm enim tota ciuitas Heliopolitana in luctu & mœrore eſſet; hi*, hoc eſt Ariani, *quorum crudeles animi nullo modo exaturari poterant, non conquieuerunt, ſed ſcelus de integro exercere aggreſſi ſunt. Nam voluntatem ſuam, quæ ad deteriora inclinabat, patefacientes, ſuæ maleuolentiæ virus in illius prouinciæ Epiſcopos effundere cœperunt. Siquidem operâ Magni, quem diximus, Comitis largitionum, ſatellites ad iniuriam ſatis inſtructi, nonnullos eorum in iudicium adducere: aliis, quo libitum erat modo, inſidias parare, eo conſilio, vti omnes vbique impietatis laqueis irretirent, nihil intentatum relinquentes. Quin etiam omnia loca circuire, non aliter atque diabolus ipſorum hæreſeos parens, quærentes quem deuorent. Atqui cùm in eo quod conabantur, ab omnibus ſe deſtitutos viderent, vndecim tamen Epiſcopos Ægypti, viros qui ab ineunte ætate, ad ſummam vſque ſenectutem ſolitudinem ſeueræ diſciplinæ cauſâ incoluerant, qui ſanctam ac ſinceram fidem audacter & liberè prædicarant, pietatíſque dogmata vnà cum lacte nutricis ſuxerant, qui victoriam contra dæmones reportarant, qui virtute aduerſarium repreſſerant, qui Arianam hæreſin ſuis (vt aiunt) coloribus depinxerant; Magno illo, quem ſuprà nominauimus, velut inſtrumento crudelitatis vſi, in exilium eiecerunt: oppidúmque nomine Diocæſaream, à Iudæis qui Dominum interfecerant, habitatum, incolere compulerunt. Et tamen non aliter quàm Orcus, morte fratrum minimè ſatiati, vbique terrarum, velut amentes ac ſtupidi, ſuæ crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atque adeo maleficiis ſe nobilitare ſtudent. Ecce enim rurſus Eccleſiæ Catholicæ clericos, qui Antiochiæ commorabantur, quíque cum quibuſdam monaſticæ vitæ ſpectatis tragica eorum ſcelera teſtata apud omnes relinquere conſtituerant, iſti vocibus maledicis contra eos in auribus Imperatoris infuſis, Neocæſaream Ponti relegandos curauerunt; qui quidem, propter locorum aſperitatem, vita quoque breui ſpoliati ſunt.* hactenus Petrus Alexandrinus. Porro Victor de perſecutione Wandalica lib. 2. de Catholicis ab Hunerico Rege Ariano in exilium actis, déque eorum pœnis hæc publicis monumentis conſignauit: *Nitebatur ſemitam in-*

Epiſcopi Ægyptij vndecim in exilium acti.

uenire, per cuius aditum, publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ita faciens, nullo modo inueſtigare potuit quomodo Chriſti Eccleſiam macularet. Quibus autem proſequar fluminibus lacrymarum, quando Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia DCCCCLXVI. *ad exilium eremi deſtinauit? in quibus erant podagri quamplurimi, alij per ætatem annorum lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abderitanus Epiſcopus, habens iam in Epiſcopatu quadraginta quatuor annos; qui paralyſis morbo percuſſus, nec ſentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maximè cogitantes, quòd non poſſit iumento portari, ſuggeſſimus, vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem eum properè moriturum Carthagini eſſe iuſſiſſet, quòd ad exilium nulla poſſet ratione perduci. Cui ita fertur Tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahendo perducant, vbi ego præcepi. Quem ex tranſuerſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quemdam ligni truncum, toto itinere portabamus. Congregantur vniuerſi in Siccenſem & Larenſem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri ſibi traditos ad eremum perduxiſſent. Superuenientes igitur Comites duo ſubtilitate damnabili blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, vt ita pertinaces ſitis, & domini noſtri præceptis minimè obtemperetis, qui eſſe poteratis in conſpectu Regis honorabiles, ſi eius feſtinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus, dicentibus ingenti vociferatione; Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiore quidem, ſed adhuc latiore cuſtodia, vbi nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina myſteria celebrare. Ibi & infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat. Dum iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & fortè magis noctibus promoueremur propter Solis ardorem, conſpicimus mulierculam, ſacculum & alia veſtimenta portantem, manu infantulum vna tenentem, atque in his ſermonibus conſolantem, Curre, domine mi; vides vniuerſos Sanctos, quomodo pergunt, & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cùm increparemus, quòd importuna videretur aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari;*

Multa millia martyrum in exilium actorum.

Felix Epiſcopus relegatur.

Barbaries inaudita.

Promptitudo SS. martyrum.

Infantuli in exilium amandati.

Matres gaudent ob filiorum exilium, perinde ac martyrum genitrices.

Anus Catholicæ ardor.

Digitized by Google

ſociari; reſpondit: Benedicite & orate pro me, & pro iſto nepote paruulo meo; quia etſi peccatrix, filia ſum quondam Turritanæ ciuitatis. Cui nos: Et quare ita abiectè ambulas? & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtratis? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exilium pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lacrymis, nihil dicere valuimus, niſi vt voluntas fieret Dei.

Sed vbi aduerſarius, qui iam fortè dicebat, Participor ſpolia, replebò animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea; nullum potuit occupare: inquirit anguſta & deterrima loca, in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam viſitationis humanæ negata conſolatio, puniuntur & cuſtodes fuſtibus, & grauiter affliguntur: iactantur confeſſores Chriſti ſuper inuicem anguſtia coarctante, vnus ſuper alium, vt agmina locuſtarum, & vt propriè dicatur, vt grana pretioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci; ſed ſtercora, & vrinam, vrgente neceſſitate, ibidem faciebant, vti ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Wandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti, vſque ad genua cœpimus mergi; illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua.

Includũtur martyres in anguſtiſſimo loco vnus ſuper alium quaſi agmina locuſtarum.

In anguſtioribus locis quanta paterentur confeſſores Chriſti.

Quid multa? præcepti ſunt, vndique perſtrepentibus Mauris, ad iter, vbi deſtinati ſunt, properari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul, & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc eſt gloria omnibus Sanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus Pontifex Cyprianus Vnizibirenſis Epiſcopus, conſolator egregius, qui ſingulos pio & paterno fouebat affectu, non ſine fluminibus currentium lacrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & ſe vltroneum, ſi dimitteretur, talibus paſſionibus dare; qui totum quod habuit, egentibus fratribus, nulla tunc neceſſitate expendit: quærebat enim occaſionem, qualiter confeſſoribus ſociaretur, ipſe animo & virtute confeſſor: qui poſtea per multos agones & ſqualores carceris, ad exilium, quod deſiderabat, cum exultatione perrexit.

Cypriani Vnizibirenſis Epiſcopi charitas.

Quantæ tunc multitudines de diuerſis regionibus & ciuitatibus ad viſendos Dei martyres occurrerint populorum, teſtantur viæ, vel ſemitæ: quæ cùm agmina venientium nequaquam caperent, per ver-

Ee

Digitized by Google

tices montium & vallium concurrens turba fidelium ineſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes: ſuóſque infantulos veſtigiis martyrum proiicientes, iſta voce clamabant: Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentiâ obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt: Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Qui nos ſolemnibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? à quibus diuini ſacrificij ritus exhibendus eſt conſuetus? Vobiſcum & nos licebat pergere: ſi liceret, tali modo filios à patribus nulla neceſſitas ſepararet. In his vocibus & lacrymis nullus iam pergere admiſſus eſt conſolator; ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata, laborioſam caperet manſionem: qui cùm ſenes deficerent, & alij fortè, etſi iuuenes delicati, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, ampliùs laſſabantur. Poſt verò imperatum eſt Mauris, vt eos qui ambulare non poterant, ligatis pedibus, vt cadauera animalis mortui, traherent per dura & aſpera lapidum loca, vbi primò veſtimenta, poſtea membra ſingula carpebantur: quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ita inter manus trahentium ſpiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura Sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perueniunt; in quibus collocati hordeum ad veſcendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta dicitur eſſe multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur: quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundebat; ab ſcorpij autem percuſſu nullum dicunt aliquando euaſiſſe: quorum feritas virulenta vſque ad præſens tempus, Chriſto defendente, nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cùm illic aluntur hordeaceis granis, poſtea & hoc ablatum eſt; quaſi non poterat Deus, qui pluerat patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.

Vrgebātur martyres ad currendum ſtimulis & aliis modis.

Tanta feritate raptabantur SS. vt multi ex eis inter manus trahentium ſpiritū emiſerint.

SS. hordeo, ac ſi iumenta fuiſſent, paſcebantur.

Animalia virulenta SS. Chriſti cōfeſſoribus non nocent.

hucuſque Victor de Hunerici in Catholicos immanitate: qua quidem referta mulierum omnium peſſima Elizabetha Angliæ Regina dicta Chriſtianos orthodoxos acerrimis tormentorum generibus, atque innumeris calamitatibus, pœniſque excruciat, & in exilium nonnumquam (ſicuti Sanderus teſtatur lib. 3. de ſchiſmat. Anglic.) in exemplum & argumentum ſuæ ſimulatæ clementiæ, pellit. De huius ac patris impietate plura ſuis locis præfati ſumus.

Catholici in Anglia iuſſu Elizabethæ in exilium mittuntur.

Digitized by Google

De damnatis ad opus, id eſt, ædificiorum operibus aſcriptis, vel purgationibus cloacarum, vel etiam viarum & vicorum munitionibus.

MEMINIT huius ſupplicij Suetonius in Nerone cap. 31. ait enim, *cum piſcinam à Miſeno ad Auernum lacum inchoaſſe, & foſſam ab Auerno Oſtiam vſque; quorum operum perficiendorum gratiâ, quod vbique eſſet cuſtodiæ, in Italiam deportari, etiam ſcelere conuictos nonniſi ad opus damnari præcepit.* Idem in Caligula c. 27. *Multos*, inquit, *honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla, & ad munitiones viarum, & ad beſtias condemnauit.* Traianus lib. 10. epiſt. Plinij: *Si qui vetuſtiores inueniuntur, & ſint ante decem annos damnati, diſtribuamus illos in ea miniſteria, quæ non longè à pœna ſunt: ſolent enim huiuſmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item ad munitiones viarum & vicorum dari.* Ampliùs de eodem ſupplicio res geſtæ Marcellini Papæ ſub. S. Marcelli nomine his verbis: *Tempore illo, quo Maximianus ex partibus Africæ rediit in vrbem Romam, volens placere Diocletiano Auguſto, vt in nomine eius Thermas ædificaret, cœpit ob inuidiam Chriſtianorum, omnes milites, ſiue Romanos, ſiue alterius gentis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare. In ipſo tempore, erat vir Chriſtianus, nomine Thraſon, vir potens, & facultatibus locuples, & vita fidelis: hic cùm vidiſſet affligi Chriſtianos fatigatione & labore, de ſua facultate ſanctis martyribus alimenta & victum miniſtrabat.* & paucis interpoſitis: *Iuſſit Maximianus Auguſtus, vt Cyriacus ſcilicet, Largus, Smaragdus, & Siſinnius ſub cuſtodia foderent arenam, & humeris ſuis portarent, vſque ad locum, vbi Thermæ ædificabantur: Erat autem ſenex inter eos, nomine Saturninus, qui iam ſenectute maceratus erat; & cœperunt eum ad portandum iuuare. hoc autem cùm viderent cuſtodes, quia Siſinnius & Cyriacus diaconi ſuas & aliorum ſarcinas portarent,* &c. hucuſque Marcellini res geſtæ: eadem quoque, vel ſaltem conſimilia ſunt, quæ habentur in paſſionibus SS. Cyriaci & ſociorum apud Surium tom. 4. Seueræ virginis ac martyris apud nos in hiſtoria noſtra SS. Virginum Roman. Præterea de eodem quoque ſupplicij genere mentionem facit S. Athanaſius his verbis: *Et quemadmodum poſt noſtrum exilium contigit, Epiſcopos homines confeſſores flagris conſcindi, alios*

FIGVRA DECIMA SEXTA A. B. C.

Publicis miniſteriis mancipati quid ſit.

Epiſcopi flagris conſciſſi, publicisq. miniſteriis mancipati.

Digitized by Google

in carceribus haberi, Præſuléſque longiſſimi in ſuo Epiſcopatu temporis publicis miniſteriis mancipari, & ferè omnes clericos & populos Eccleſiæ Catholicæ inſidiis appeti, & perſecutionem pati. Et in epiſtola ad ſolitarios: *Veteres Epiſcopos Ariani profugos fecerunt, & hos quidem in lapidicinis manciparunt, illóſque ad necem perſecuti ſunt.* ita Athanaſius. Ampliùs de his etiam multa nobis ſcripta reliquit Victor de perſecutione Wandalica, præſertim lib. 2. vbi hæc tradit: *At vt Tyrannus iſto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat vt noſtræ religionis homines in aula eius conſtituti, neque annonas, neque ſtipendia ſolita potirentur: addidit quoque & laboribus eos conterere ruſticanis. Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticenſem, vt ſub ardentis Solis incendio caſpites meſſium deſiccarent. vbi omnes cum gaudio pergentes, in Domino lætabantur.* hæc ille.

> Epiſcopi ad lapidicinas damnati, id eſt, ad excidendos lapides.
>
> Lapidicinæ, locus vbi lapides exciduntur, latumiæ à Græcis dictæ. vnde & carcerem latumiam vocamus, ſiue quòd damnati ad lapides excidẽdos mittebantur; ſiue quòd Syracuſanorum Tyrannorum latomias habebant inſtar carceris excauatas, ex quibus exciſi lapides fuerant ad vrbem extruendam, híſque pro carcere vtebãtur. Plautus in Capt. *In lapidicinas facito, deductus ſiet.* Lege Budæum ac Briſſonium de verborum ſignificationibus.

His itaque ſine controuerſia aliqua perſuademur, in more maiorum extitiſſe, vt vel rei, vel Chriſtiani * homines, ad ſummam eis iniuriam inferendam, & præcipuè qui militiâ nobiles eſſent, ad opus aſcriberentur: l. ſi quidem Pedius. §. nam plurimum ff. de incend. ruin. & naufr. viliores perſonæ dumtaxat in publicum opus tradi ſolebant: ſic namque ibidem legitur: *Si ſordidiores perſonæ erunt, in opus eius temporis publicum dabis.* Igitur ſi milites in opus publicum dabantur, contra ipſorum leges profectò erat, quibus (vt Modeſtinus aſſerit l. 3. §. nam in metallum. ff. de re milit.) non licebat militem ad metalla damnari, aut torqueri: igitur neque ædificiorum operibus, ne more ſeruorum diuturno labore defatigari cogerentur, aſcribi.

> * Chriſtiani ad opus damnabantur.
>
> Viliores perſonæ ad metalla damnabantur.

Extructa fuit Chriſtianorum militum ſudoribus ac laboribus, eorumdémque deinde martyrum, moles illa Thermarum, quam Diocletianam ad hæc tempora appellamus. Vnde Dei opt. max. beneficio accidiſſe putandum, vt ſuperioribus annis, Pio Papa IV. ſedente, eius potiſſima pars, quæ integra remanſerat, in Eccleſiæ vſum, memoriámque Dei genitricis Mariæ, & Angelorum, ſanctè ac religioſè fuerit commutata. Sed de damnatis ad opus hæc ſatis.

> Milites Chriſtiani ad opus Thermarum aſcripti.

De martyribus ad metalla damnatis.

MVLTA inuenimus pertuliſſe eos qui ad metalla damnabantur. Notis primùm ac ſtigmate deformabantur, bo-

> Ad metalla damnati multa perpetiebantur.

Digitized by Google

niſque omnibus ciuitatéque Romana ſpoliabantur: fuſtibus deinde cædebantur, compedibus vinciebantur: humi iacere, ſi feſſis membris quietem dare voluiſſent, compellebantur: ſqualore, fœtore, ac longa inedia affligebantur: inſuper medium eis caput abradebatur: ac denique ſanctis martyribus, hoc modo, Maximiano, Diocletiano, atque Galerio Imperatoribus, damnatis dexter oculus, ſiniſtro eiſdem poplite exciſo, eruebatur. Ac fuiſſe damnatos ad metalla notis & ſtigmate deturpatos, oſtendunt apertè Suetonius in Caligula cap. 27. & Conſtantinus l. 2. de pœn. Cod. Theod. Suetonius enim ait: *Multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla condemnauit*, &c. Conſtantinus verò ad Eumelium reſcribens, inquit: *Si quis in ludum fuerit, vel in metallum pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minimè in eius facie ſcribatur: dum & in manibus, & in ſuris poſſit pœna damnationis vna ſcriptione comprehendi: quo facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis eſt figurata, minimè maculetur. Datum XII. Kal. April. Cabilluno, Conſtantino A. IV. & Licinio IV. Conſſ.* hæc ille: quibus profectò docemur, ad eius vſque tempora hanc conſuetudinem extitiſſe, vt facies illorum qui ad metalla damnabantur, atris notis perpetuò manſuris, profundis characteribus inciderentur. Quòd autem bonis exteris patriâque priuarentur, ex aliquibus legibus cognoſci poteſt, præcipuè l. 1. ff. de bon. damnat. & l. eius qui. §. 1. & ſeq. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Præterea damnatis ad metalla ſeruitus irrogabatur, l. in metallum. l. aut damnum. §. eſt pæna, & l. diui fratres. ff. de pœn. l. in metallum ff. de iure fiſc. & l. Pedius. §. non plurimum ff. de incend. ruin. & naufr. in qua hæc verba reperies: *Flagellis cæſos in metallum damnabis.* His ergo, qui hoc modo puniebantur, ſeruilis conditio ſaltem irrogabatur: ex quo conſequitur vt ſingula eorum bona damnatione publicarentur, l. 1. ff. de bon. damnat. confirmatur hoc idem l. in metallum. C. de bonis proſcript. ſeu damnat. vbi hæc leguntur: *In metallum damnatus pœna ſeruus efficitur; & ideo eiuſmodi ſententiam paſſi bona vindicantur rationibus fiſci. Quare ſi quid rerum habuit is, quem poſtea noſtrâ indulgentiâ liberatum eſſe proponis, ad ius fiſci potiùs quàm ad ipſius dominium pertinet.* Ad hæc, SS. Martyres ad metalla damnatos, fuſtibus cæſos fuiſſe, compedibus vinctos, dimidia eis capita abraſa, fame, fœtore, ac ſqualore, aliiſve modis affli-

Faciei deturpationem vetuit Conſtantinus.

Ad metalla damnati martyres fuſtibus cædebantur, vinciebantur, & abradebantur.

Digitized by Google

ſtatos, demonſtrat Cyprianus epiſt. 77. ad Nemeſianum & ceteros martyres in metallo conſtitutos, dicens: *Quòd autem fuſtibus caſi priùs grauiter & afflicti, per euiuſmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ religioſa primordia, excerãda nobis iſta res eſt. Neque enim ad fuſtes Chriſtianum corpus expauit, cuius eſt ſpes omnis in ligno. Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſeruus agnouit: redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus eſt ad coronam. Quid verò mirum, ſi vaſa aurea & argentea in metallum, id eſt, auri & argenti domicilium, dati eſtis, niſi quòd nunc metallorum natura conuerſa eſt, locáque quæ aurum & argentum dare antè conſueuerant, accipere cœperunt? Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus armamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, ſed à Domino reſoluentur! O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur! O pedes in ſæculo ad præſens ligati, vt ſint ſemper apud Dominum liberi! O pedes compedibus & tranſuerſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri! Quantum vult hîc vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat, citò à terris & pœnis iſtis ad cælorum regna venietis. Non fouetur in metallis lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fouetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera, ſed pœna non eſt cum Chriſto iacere. Squallent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus: at non in ſolo pane viuit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter, & cultus eſt. Semitonſi capitis capillus horreſcit: ſed cùm ſit caput viri Chriſtus; qualecumque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas, deteſtabilis & tetra Gentilibus, quali ſplendore penſabitur?* hæc ille. His conſimilia ſunt quæ epiſt. ſequenti ab iiſdem ad S. Cyprianum reſcripta recitantur: *Agunt ergo tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectiſſime, quod litteris tuis laborantia pectora recreaſti, fuſtibus vulnerata membra curaſti, compedibus pedes ligatos reſoluiſti, ſemitonſi capitis capillaturam adæquaſti, tenebras carceris illuminaſti, montes metalli in planum deduxiſti, naribus etiam fragrantes flores*

Ad metalla relegati nuda humo cubabant.

Aliæ pœnæ ad metalla damnatorum circa eorum victum & veſtitum.

Digitized by Google

impoſuiſti, & tetrum odorem fumi excluſiſti. Fecit autem & proſecutum miniſterium tuum, & Quirini dilectiſſimi noſtri, quod per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum, & Amantium acoluthos diſtribuendum miſiſti, quæcumque neceſſitatibus corporum defuerant, expediri. hucuſque Nemeſiani, Datiui, & aliorum Epiſcoporum epiſtola ad Cyprianum.

Demum hiſce damnatis dextrum oculum effoſſum fuiſſe, ſiniſtríque pedis neruos præciſos, indicant Romanum Martyrologium atque Euſebius locis paulò ſuperiùs citatis. nam hæc Euſebius: *Cùm malorum nobis impoſitorum exuberantia deinceps Diocletianus & Maximianus defeſſi eſſent, & in hominum cæde defatigati, & ſatietatem ac faſtidium in ſanguinis effuſione cœpiſſent, & ſe ad tantam clementiam ac facilitatem (vt ab illis putabatur) conuertiſſent, vti de reliquo nihil acerbitatis contra nos moliri viderentur (non enim decere aiebant, ciuitates inteſtino cruore contaminare, neque propter crudelitatem Imperium eorum qui principatum tenebant, vtpote omnibus tam clemens & manſuetum, ignominiæ notâ afficere; ſed potiùs beneficentiam humanæ ac veræ regiæ poteſtatis in omnes patere oportere, vti nulli de reliquo morte mulctarentur, hócque contra nos ſupplicij genus propter Imperatorum benignitatem remitti relaxaríque debere) tum oculos effodi, alterum crus ſuffringi ſolùm præcipiebatur. Iſta enim apud illos mitia admodum cruciamenta, atque leniſſima ſupplicia, quibus nos torquerent, videbantur: adeò vt dicendo explicare non poſſimus innumerabilem ferè multitudinem eorum, quorum ob iſtam impiorum manſuetudinem non ſolùm oculi dextri ſicis antè eruti fuerunt & exciſi (quibus euulſis, loca in quibus inerant, ferro candente exuſſerunt) ſed læui pedes etiam in ipſis flexuum commiſſuris cauterio ambuſti fuerunt, & prorſus debilitati: ac poſtea iſti ad æris metalla in ſingulis prouinciis, non tam miniſterij causâ, quàm afflictationis & cruciatus, condemnati.* ſic Euſebius *. Innuit Præterea S. Clemens, Chriſtianos ad metalla damnatos à militibus aſſeruari conſueuiſſe: lex * autem eoſdem verberibus ſeruilibus coërceri ſolitos docet. De hac re vide plura apud Tertullianum de habitu muliebri cap. 5. & Euſebium locis nuper adductis, & denique apud S. Clementem Romanum Pontificem lib. 5. conſtit. Apoſtolicar. cap. 1. & l. pariter in metallum ff. de iur. fiſci. Ceterùm hanc eamdem metalli pœnam à Tarquinio Superbo excogitatam, tradunt Eutropius lib. 1. cap. 10. & Suidas verbo σιναιρδος. Quamquam ille huius pœnæ auctor atque in-

Damnatis ad hoc pœnæ genus dexter oculus eruebatur, ſiniſtriq; pedis nerui præcidebantur.

* *Hiſt. Eccl. lib. 8. c. 24.*

Ad metalla damnati à militibus cuſtodiebantur.

* *l. Pedius de qua ſuprà.*

Pœnæ metalli inuentor qui fuerit.

Digitized by Google

Suidas verbo Semiramis.

Romani multa metalla habebãt.

uentor primarius non extiterit, cùm ante eum Semiramis metalla inueniſſe, eáque per captiuos exercuiſſe, Diodorus Siculus & idem Suidas apertis verbis doceant. Habebant autem Romani, quibus præcipuè huiuſmodi pœnæ genus valde vſui fuit, metalla multa. Deſumitur hoc ex l. ſacrilegij. §. vlt ff. ad l. Iul. pecul. & l. 9. atque 11. Codicis Theodoſiani de indulgent. debit. l. 11. Porro hac pœna damnati metallici appellabantur, perinde ac metallo addicti & mancipati. l. aut damnum. §. 1. l. in metallum. & demum l. in ſeruorum. §. 1. ff. de pœnis. Ampliùs, etſi nihil referre, nec diuerſum eſſe, in metallum, ínque opus metalli damnari, dixerit Calliſtratus l. cognitionum numerus in fin. ff. de var. & extraord. cognit. quia vtrauis in perpetuum damnatus, libertatem amittebat, maximámque per eam capitis patiebatur diminutionem, attamen diſcrimen aliquod eſſe inter vtramque pœnam, præſertim in vinculis, colligi poteſt ex l. aut damnum. §. inter eos. & l. ſequenti, §. ſed enim. ff. de pœn. & l. capitalium. §. & vt generaliter. verſ. diuus. ff. eo. & l. penult. in fin. ff. de var. & extraord. cognit. Namque grauioribus primùm coërcebantur vinculis qui in metallum dabantur, quàm qui in opus metalli, dicta l. aut damnum. Deinde, refugæ ex metalli opere, in metallum damnabantur; ex metallo verò refugæ grauiùs dumtaxat coërcebantur, dicta quoque l. aut damnum. Denique licèt non debuerit quiſpiam ad tempus in opus metalli damnari; nihilominus ſi hoc alicui contigiſſet, libertas ei non perinde adimebatur, l. capitalium. §. diuus. ff. de pœn. Erat ampliùs tertium pœnæ genus feminis etiam conueniens, in miniſterium videlicet metallicorum damnari, de quo dicta l. aut damnum. Et de his hactenus.

In metallum dati Metallici dicebantur.

An idem ſit, in metallum, & in opus metalli dãnari.

Ad tempus in opus metalli damnatus non amittebat libertatem

Feminæ damnabantur ad miniſterium metallicorum.

De contumeliis & probris cùm Gentium, tum hæreticorum, in ſanctorum martyrum cadauera.

Qvoniam paulò antè, S. Athanaſij verba de Catholicis in exilium pulſis referentes, legimus Chriſtianæ Orthodoxæque fidei inimicos, non ſolùm in SS. martyres adhuc viuentes crudelitatem exercuiſſe, ſed etiam in eorumdemmet cadauera, ob id opinamur non extra rem omnino fore, ſi de inhumanitate ac ſæuitia ipſorum in martyrum corpora ſenſu vitáque carentia adhibita, aliqua hoc loco ſcriptis mandemus.

demus. Narrat igitur in primis Euſebius quamplurimis locis ſuæ hiſtoriæ de huiuſcemodi re propoſita multa, quorum aliqua recitabimus. Et ſunt hæc: *Nam cùm Cæſar reſponſum per litteras miſiſſet, illos qui fidem Chriſti confiterentur, tympanis * eſſe torquendos; Præſes beatos martyres, tamquam ſpectaculum & glorioſam pompam de illis multitudini præſtiturus, ad tribunal deduci iubet, iterum in quæſtionem vocat, dátque ſententiam, vt qui municipes Romani eſſent, ſecuri percuterentur, reliqui autem amandarentur ad beſtias.* Et poſt Sanctorum martyrio coronatorum victorias, adiecit: *Verùm eorum rabies & erudelitas in Sanctos non ita exſaturata fuit, nam ab immani & furioſa bellua diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagitatæ; vix, aut ne vix quidem à furore ſuo aliquando acquieuerunt: imò verò in corporibus martyrum ſuam deintegro contumeliam cœperunt & maleuolentiam exercere. Nam quamuis martyrum conſtantiâ penitus eſſent ſuperatæ; tamen quia omnem humanam rationem omnino exuiſſent, illorum amentia minimè fuit retardata, repreſſáque: ſed acerba bilis cùm Præſidis, tum populi (qui quidem in nos letale odij ſui virus euomebant) tamquam immanis belluæ magis magiſque incenſa; ſic vt Scriptura verè impleretur: Impius adhuc impiè agat, & iuſtus iuſtificetur adhuc. Etenim corpora eorum, quos carceris peſtifer odor & cruciatus ſuffocauerat, canibus laceranda obiiciuntur: ſtudioſéque noctè diéque obſeruant, ne quiſquam è noſtris illa tumulis mandet. Tandem verò martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec beſtiæ adhuc vorarant, nec ignis abſumpſerat, partim minutatim dilaniata, partim inſtar carbonum ambuſta, quinetiam ſecuri percuſſorum capita vnà cum corporum truncis collecta, dies complures ſimiliter militum excubiis inſepulta cuſtodiunt. Porro alij fremere, & dentibus contra eos frendere cœperunt, toto animo connitentes aliquam grauiorem in ea exercere contumeliam. Nonnulli irriſione ludere, & falſos cachinnos tollere, ſummáque commendatione & præconio idola ſua efferre: quibus quidem tamquam auctoribus pœnam & vltionem Chriſtianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quamquam factis aliquanto modeſtiores erant, & de illorum afflictatione aliquantùm condoleſcere videbantur, verbis tamen eos acerbè vexare, ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc profuit religio, quam ſua ipſorum vita præpoſuerunt? Quæ ad Gentilium crudelitatem pertinebant, talem habebant veritatem. Quæ autem ad nos, videbantur ſane magnum mœrorem propterea in ſe complecti, quòd martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur*

* Tympana, in Ariſtophanis Pluto, ligna ſunt, quibus cædebantur noxii. Hæc Rodiginus lib. 10. cap. 5. vbi ſanè fallitur, dum ait, apud Tertullianum aduersùs Gent. c. 12. aſcias & runcinas inter inſtrumenta ſæuitiæ connumerari. ibi enim, vt ex eodem Tertulliano & Pamelio colligitur, hoc inferri non poteſt; ad aliud quippe propoſitum verba illa, ſicuti legenti eum locum patebit, proſecuntur.

Contumeliæ & probra Gentium in martyrum corpora.

Ff

facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præſidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterant: ſed nulla non ratione & via corpora illa erant aſſiduè ab illis obſeruata: & id quaſi in magno lucro deputatum, ſi penitus inhumata iacerent. Paulò pòſt etiam iſta addunt; martyrum corpora ſex dies continuos ſub dio iacentia & maximâ ignominiâ affecta, pòſt autem ab impiis illis & facinoroſis carnificibus exuſta, ínque cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proxime defluit, ſpargebantur, quo nulla quidem illorum reliquiæ ampliùs ſuper terram reſtarent. hæc Euſebius lib. 5. cap. 1. in M. Aur. & L. Vero. Ampliùs lib. 8. cap. 6. *Reliqua autem Chriſtianorum multitudo vinculis colligata, & à lictoribus in ſcaphis impoſita, in vaſtum maris gurgitem fluctúſque præceps proiecta fuit. Famulos illos regios poſt mortem decoro & celebri funere terra mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rurſus de integro effodiendos, ínque mare præcipitandos, ſententiis decreuerunt; ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos in ſepulcris & monumentis conditos, deos eſſe reputantes, diuina veneratione proſequerentur.* Et cap. 7. *Ad extremum, poſt graues & varias illarum etiam incurſiones SS. martyres enſe obtruncati fuere, & marinis fluctibus ſepulcrorum loco mandati.* Et cap. 19. *Iſte igitur* (hoc eſt, Maxys Tribunus) *immanitate longiùs progrediens, & rabiem propè belluinam contra pios in dies adaugens, adeò extra naturæ leges penitus egreſſus eſt, vt inanimis ſanctorum virorum corporibus ſepulturam impudens inuideret; & propterea cadauera ſub dio, vt à beſtiis dilaniarentur, noctu aſſiduè & interdiu ſeruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum ſpatio, huic immani & barbaro mandato inſeruientium, cernere licebat. Quinetiam alij ex ſpecula & loco edito, tamquam operæpretium facturi, ne cadauera ſurriperentur, ſedulò obſeruabant. Itaque agreſtes beſtiæ, canes, & aues carniuoræ membra diſcerpſerunt humana, eáque huc illuc diſperſerunt; & tota ciuitas vndique viſceribus oſſibúſque hominum conſtrata fuit; adeò vt illis ipſis, qui antè fuiſſent infeſto animo in nos affecti, nihil vmquam crudelius, nihil aſpectu horribilius videretur; neque tam eorum calamitatem in quos hæc admiſſa erant, quàm cùm ſuam ipſorum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium, non vno loco deuoratarum, ſed vbique miſerè diſiectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnémque tragœdiæ ſpeciem longè ſuperat) prope ciuitatis portas cuiuſque oculis ſubiectum fuit. Nonnulli autem mem-*

Cineres martyrum in Rhodanum effuſi, & quare.

Hi fuerunt è familia Diocletiani.

Martyres ſepulti rurſum effoſſi, & in mare proiecti.

Corpora martyrum gladio cæſorum in mare proiiciuntur.

Maxys Tribunus ſæuiſſimus ſub Diocletiani Imperio.

Sepultura martyrum corporibus negata.

bra, cadauera integra, & viſcerum partes etiam intra portas ſe vidiſſe dixerunt. Sed audi modò miraculum magnum. Dum permultis diebus iſta gerebantur, tale quoddam accidit. Cùm clara eſſet ſerenitas, & aër pulchrè ſplendeſceret, totiúſque cæli omnia ſuo complexu ambientis ſumma extaret tranquillitas, derepentè columnæ ciuitatis, quæ publicos & communes porticus ſuſtentabant, multas veluti lacrymarum guttas quodammodo ex ſe profuderunt. Forum item, & plateæ, nullâ pluuiæ guttâ ex aëre decidente, neſcio vnde, quóve modo, aquâ aſperſæ maduerunt; ſic vt illico rumor per omnium ora volitaret, terram, vtpote rerum id temporis geſtarum ſcelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lacrymarum vim ex ſe fundere, & lapides naturámque inanimam nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, támque ab omni affectione vacuam, iuſta reprehenſione coargueret. Atque hæc quidem Euſebius: cui proximè accedere videntur Petrus Alexandrinus Epiſcopus apud Theodoretum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 4. cap. 20. in Valente, & Sozomenus lib. 5. cap. 8. in Iuliano. Ille his verbis: *Porro autem cùm Palladius homo ſuperſtitioni deditiſſimus tenera puerorum Catholicorum corpora torqueret, quidam eorum poſt cruciatus remanſere iure ſepulturæ defraudati: idque cùm parentes, fratres, cognati, & tota pene dixerim ciuitas poſtularet, vt vnum hoc, atque adeò vltimum vitæ ſolatium illis tribueretur. Sed ô ſæuam iudicantis, imò verò condemnantis crudelitatem! Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium ſubeunt, corporáque eorum manent inſepulta: & qui pro fide ſtrenuè dimicarint, beſtiis & volucribus obiiciuntur ad vorandum: qui denique patres cæſorum conſcientiæ causâ commiſerati ſint, tamquam impij facinoris auctores ſecuri feriuntur.* Sozomenus autem loco dicto hæc ait: *Vt verò eos* (id eſt, ſanctos Euſebium, Neſtabum, & Zenonem) *diſcerpſerant, & capita ita confregerant, vt cerebrum in terram efflueret, extra vrbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua proiici ſolent. Atque accenſo rogo, eorum corpora comburunt: reliqua autem oſſa, quæ ignis neutiquam abſumpſerat, oſſibus camelorum & aſinorum, quæ ibi proiecta erant, admiſcent: adeò vt perdifficile eſſet ea inter tot oſſa reperire. Attamen non diu ſic latuerunt.* huc uſque Sozomenus.

Lacrymæ miraculosè editæ in martyrum commiſerationem.

Oſſa SS. martyrum, quæ ignis non conſumpſit, oſſibus aſinorum & camelorum admiſcent Gentiles.

Reliquum eſt modò, vt aliqua eorum, quæ explicuimus, formis expreſſa proponamus. Non enim ſingula quæ-

que, quæ tam hoc capite, quàm præcedentibus diſcuſſimus, tabellis repræſentanda ſuſcepimus, ſed aliqua dumtaxat, eáque præcipuè quæ martyrij inſtrumenta denotant, tamquam aliis cùm obſcuriora, tum etiam difficiliora.

FIGVRA I.

A Martyr puerorum graphiis confoſſus.
B Martyr lanceâ transfixus.
C Martyri crura & brachia præſcindebantur.
D Martyres ſagittis transfigebantur.
E, F. Capite plectebantur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA II.

A Martyr terebris excruciatus.
B Martyr immiſſo in iugulum pugione confoſſus.
C Martyr clauis confixus.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA III.

A Martyr vecte vel fuſte percuſſus.
B Martyr ſerra ferrea per medium ſecatus.
C Martyr cui pedes & manus truncatæ ſunt.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA IV.

A Martyr cui lingua præſcinditur.
B Martyr cui dentes euelluntur.
C Cui mamillæ abſcinduntur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA V.

A Martyri pellis vultus detrahitur.
B Pedes truncantur.
C Crurifragio afficitur.
D Stigmatibus in fronte deturpatur.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA VI.

A. A. Martyres pelle exuuntur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA VII.

A Martyr acuta ſude per media viſcera transfigitur.

B Martyri, diſciſſo ventre, iecur auulſum, quod Gentiles aliquando dentibus appetebant.

Digitized by Google



Hh


Digitized by Google

FIGVRA VIII.

A Martyris pedes ad duarum arborum inflexa & vi adducta capita deligati.

B Martyr acutis calamis ſub manuum pedúmque vnguibus infixis torquetur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA VIII.

A Martyris pedes ad duarum arborum inflexa & vi adducta capita deligati.

B Martyr acutis calamis ſub manuum pedúmque vnguibus infixis torquetur.

Digitized by Google


A
B

FIGVRA IX.

A Martyr retibus implicatus feris obiiciebatur.
B Martyr nudus beſtiis deuorandus obiicitur.
C Martyr ferina pelle indutus beſtiis laniandus obiicitur.
D Martyr pedibus ſaxo inſectis, ſubuliſque candentibus in digitos defixis, canibus famelicis diſcerpendus traditur.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA X.

A. A. Martyres indomitorum equorum caudis aut collo alligati miſerè raptabantur.

B Vel funiculis ad eorum pedes immiſſis per plateas, & loca ſaxoſa trahebantur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA XI.

A. A. Martyres viui in profundas foſſas iniecti, terra, lapidibúſve collo tenus obruebantur.

B Martyres manibus poſt tergum reuinctis ſemiſepulti relinquebantur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA XII.

A. A. Martyres è loco ſublimi præcipites dabantur.
B Aut in calcis fornacem coniiciebantur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA XIII.

A Martyr graui ſaxo ad pedes alligato in profluentem deiicitur.
B Martyr retibus inuolutus in flumen proiicitur.
C Saxo ad illius manum alligato in vicinum amnem proiicitur.
D Item plumbeo pondere ad collum alligato.
E In puteum præceps datur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA XIV.

A Martyr plumbeo loculo incluſus, mox in flumen demergitur.

B Culeo inſutus cum gallo, vipera, ſimia & cane, in vicinum mare, vel fluuium proiicitur.

Digitized by Google



Digitized by Google

FIGVRA XV.

A Martyr coniecto ad collum ferreo vinculo per vrbis compita circumactus.

B Martyr veſtibus denudatus, & ſuper ferreos acutóſque tribulos volutatus.

Digitized by Google



KK

FIGVRA XVI.

A Martyr ad opus publicum damnatus.

B. C. Martyres ad marmoreos lapides ſecandos cæden-dóſque damnati.

Digitized by Google




Digitized by Google

FIGVRA XVII.

Trophæum ex omni ferè genere eorum inſtrumentorum quibus martyres cruciabantur compoſitum.

Digitized by Google



Digitized by Google

HIERON. MAGII
DE EQVVLEO
HACTENVS INCOGNITO
LIBER,

Ad illuſtriſſimum & magnanimum dominum

Chriſtianiſſimi Gallorum Regis
Oratorem Byzantij.

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI MAGII ELOGIVM,

Ex opere RAPHAELIS TRICHETI DV FRESNE *de rerum Italicarum Scriptoribus.*

ANGLARA, vulgò *Anghiari* dictum opidum, in Etruſco ſolo poſitum eſt, inter Aretinam vrbem & Tiberim, à quo tribus tantùm paſſuum millibus diſtat. Sed Angleria, vulgò *Angera*, ad Lepontios pertinet, éſtque ceteris ad Verbanum lacum vrbibus antiquior & celebrior. Fecit autem nominum ſimilitudo, vt Auguſtus Thuanus, Franciſcus Suertius, Aubertus Miræus, & alij, Hieronymi Magij elogium contexentes, pro Anglarenſi, Anglerienſem finxerint, & pro Etruſco Gallum in Mediolanenſi ditione natum. Antonius Maria Gratianus ex propinqua Sepulcro-Burgenſi ciuitate ortus illum certè Etruſcum nouit, dum elegantes ſuas de Cyprio bello hiſtorias conderet: *Hieronymus Magius*, inquit ille, *ab Anglario Etruriæ opido, erat bellicis operibus machiniſque inueniendis ſolerti ingenio vir.* Sed quid alieno teſte opus eſt, ſi ipſemet Magius in libro quem de muniendis ciuitatibus reliquit, ita ſcribit: *Pietro de' Medici fù tanto ritenuto dalle eſpugnationi del Borgo Sanſepolcro, & d'Anghiari mia patria, qual preſe à patti, che i Fiorentini hebber tempo di prouederſi.* Et miſcellaneorum ſuorum libro 4. cap. 9. *peſte, quæ Thuſciam Anglarenſéſque noſtros inuaſit, ego infans correptus ſum.* Inter

Libro 49.
In lib. illo Magii de tintinnabulis ab eo edito.
In opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 87.
Lib. 3. pag. 181.
Lib. 2. cap. 2.

Lib. 1. miſcellaneorum cap. 2. ciues affinéſque ſuos præter Angelum Caninium,
In præfatione ad librum de equuleo. Grammaticæ Syriacæ auctorem, & Ioannem Nicolaum Iuſtum Iuriſconſultum, virum elegantem, quem commentariis Arioſti ſatyras illuſtraſſe ait, numerat
Lib. 3. miſcellaneorum cap. 3. etiam Ioannem Andream Angelerium, quem aliquando in exercitu Ioannis Medicæi ius dixiſſe refert Fra-
Miſcell. lib. 4. c. 1. trem habuit Bartholomæum Magium, cui ipſe à bonarum artium ſtudiis laudem tribuit Præceptore vſus eſt Petro Antonio Ghetio, qui eum non ſolùm humanioribus literis, ſed & primis Iuriſprudentiæ elementis informauit. In publicis deinde gymnaſiis commiſſa ingenio eruditionis ſemina feliciter excoluit,
Miſcell. lib. 3 c. 5. ac præſertim Bononiæ, vbi docentem audiuit Franciſcum Robortellum, quem inclytum ſuum præceptorem vocat. Si quid porro ea ætas doctum protulit & literatum, hoc ſibi amicum fecit, Obertum Giſanium, Melchiorem Guilandinum, Benedictum Varchium, Natalem Comitem, Ioannem Michaëlem Bruttum, Ioannem Zarium Zamoſchium, Ioſephum Zarlinum, Ioannem Gallum, Giraldum, ſed magis ceteris Petrum Angelium Bargæum poëtam ſuo ſæculo celeberrimum. Nec vitam ſemper duxit vmbratilem & priuatam, publicis etiam rebus adhibitus eſt, iuue-
Magius de tintinnabulis cap 18 níſque apud Florentinos legati munus cum laude ſuſtinuit. Et cùm muniendarum arcium ac ciuitatum artem callere, Turcis Cyprum inuadentibus egregiam Reipublicæ Venetæ operam nauauit, ac in Famaguſtana obſidione nouis quotidie inuentis multa hoſtibus detrimenta attulit, & magnos ſæpe eorum cona-
Antonius Maria Gratianus b. ll. Cyprij lib. 3. tus, ac multorum dierum labores paruo ipſe momento deluſit. Sed capta tandem vrbe anno ſupra milleſimum & quingenteſimum ſeptuageſimoprimo, Chri-

ſtianíſque contra fidem datam in ſeruitutem addictis, infelix Magius, talíque fato indignus, ſeruus cuidam Turcicæ nauis præfecto traditus eſt Conſtantinopoli, à quo immaniter habitus, miſeram, cum reliqua mancipiorum turba, vitam ducebat. Tolerandæ ſortis ſuæ conditioni muſas ſæpius in ſubſidium vocauit, nec ſolùm meditando, ſed & lucubrando laborioſæ ſeruitutis acerbitatem demulſit. Erat autem tenacis adeò memoriæ, vt omni prorſus librorum auxilio deſtitutus, nocturnis horis, cùm ceteri quieti indulgerent, duos libros variis auctorum opinionibus & citationibus refertos compoſuerit, vnum de tintinnabulis ad Carolum Rymium, de equuleo alterum ad Franciſcum de Noailles Epiſcopum Aquenſem, hunc Gallorum Regis, illum Maximiliani Imperatoris oratorem Byzantij; quorum ope & liberalitate malis quibus vrgebatur eripi poſſe ſperauerat: Turcæ etenim Famaguſtanæ obſidionis memores, homini, per quem tot clades acceperant, extrema quæque minabantur: ſed fuit ea fati inclementia & atrocitas, vt legati (dictu pudendum) eius precibus ſurdi fuerint, barbaríque immiſſo in collum laqueo eum in carcere ſtrangulauerint. Exitum viri de literis optimè meriti ex ephemeridibus Arnoldi Manlij Gandenſis Cæſarei oratoris medici, cui viuens Magius ſuum de equuleo commentarium reliquerat, ita accipe. 1572. 27. *Martij nocte diei Iouis necatur in carcere Hieronymus Magius eques doctiſſimus, tormentarius magiſter (ingegnero) Famaguſtæ captus, ac imprudenti ambitione in noſtram Caruaſſaram ductus. Poſtridie oſtenditur cadauer eius Dominico Dragomanno, (ſed non ſine colli notis) ac ſepelitur in ſepulcreto Schiauorum Mahometis Baſſæ.* Et alibi: *Hieronymus*

Editi anno 1609. Hanouiæ, de Equuleo cum notis Gothofredi Iungermani, Ioachimi Camerarij ex filia nepotis. De tintinnabulis cum notis Franciſci Sweertij.

Magius····· Eques, Venetorum architectus bellicus Famaguſtæ in Cypro, Conſtantinopoli intempeſtiuè liberatus, ſtrangulari à Mahomete Baſſa in carcere iuſſus. Illius autem memoriam inter hoſce ſcriptores recoluimus, ob editum ab eo libellum de veteri Etruriæ ſitu, dignum certè eius ingenio argumentum, ſed in quo meliùs ſe geſſiſſet, ſi nunquam in Pſeudo-Beroſum alióſque Annianos auctores impegiſſet. Opuſculum ſuum dicauit amiciſſimo ſibi viro Petro Angelio Bargæo anno 1556. cuius exemplar propria, vt videbatur, auctoris manu deſcriptum legimus Stocholmiæ, cùm ibi anno 1652. regiæ bibliothecæ poſt Naudæum præfecti eſſemus. Reliqua quæ ſcripſit, hîc ſubiicimus.

De mundi exitio per exuſtionem libri quinque, Baſileæ 1562. apud Henricum Petri. fol.

Commentaria in quatuor inſtitutionum ciuilium libros, Lugduni 8°.

Vitæ illuſtrium virorum auctore Æmilio Probo cum commentariis Hieronymi Magij, Baſileæ apud Henricum Petri, fol. *ex quibus multa Dionyſius Lambinus audacter mutuatus eſt, vt notat Suertius.*

Della fortificatione delle città di M. Girolamo Maggi, e del Capitan Iacomo Caſtriotto ingegnero del Chriſtianiſſ. Rè di Francia libri III. *dicati Franciſco Turriano cùm eſſet Cæſareus Legatus Venetiis ab anno 1557. ad 1559. ſed Magij opus non prodiit in lucem ante annum* 1584. Venetiis. fol.

Miſcellanea, ſiue variæ lectiones. Venetiis apud Iordanum Zilettum 1564. 8° *Scripta poſt annum 1560. meminit enim Caroli Caraffæ Cardinalis, qui eo anno carnificis manu in Ælia arce ſtrangulatus fuit. & tamen miſcellaneorum libro 4. cap. 2. iam inde ab anno*

Miſcell. lib. 2. c. vltimo. Nocte quæ præceſſit nonas Martij.

Digitized by Google

1552. *literis conſignata, & editioni parata fuiſſe refert.*

De tintinnabulis liber poſthumus cum Franciſci Suertij filij Antuerpienſis notis. Hanouiæ 1608. 8°.

De equuleo liber poſthumus cum notis Gothofredi Iungermani. Hanouiæ 1609. 8°.

Reliqua, quæ enumerat Suertius in Magij elogio, edita non fuere. *Præfixo libello de tintinnabulis.*

Digitized by Google

HIERONYMI MAGII DE EQVVLEO hactenus incognito liber ad Illuſtriſſ. & Magnanimum D. Chriſtianiſſimi Gallorum Regis Oratorem.

PRÆFATIO.

QVI *carcere detinentur, aut duriſſimo ſeruitutis iugo premuntur*, Chriſtianiſſimi Gallorum Regis Orator ampliſſime, atque heros illuſtriſſime, *nihil mente frequentiùs agitare ſolent, nihil ſecundùm quietem ſæpius intueri, quàm vincula, compedes, flagra, tormenta, ſecures, mortíſque genera ſæuiſſima. Cùm enim hæc ipſis ſemper immineant, facile fit vt ea mente continuò voluant; & quando eos ſomnus amplexus fuerit, videre ſibi perſuadeant. Hoc & mihi è clade Cyprica ſuperſtiti, atque aſperrima ſeruitute oppreſſo vſuuenire nullo negotio exiſtimare poteris: vt mirum ſit, cùm antea in bonarum literarum ſtudiis enutritus, aliquid tale nedum perpeti, ſed ne quidem intueri ſolitus fuerim, me iam dolore & mentis vexatione confectum apud mortales eſſe non deſiiſſe. Non ſolùm autem quæ hodie ſunt in vſu tormenta, & mortis genera menti obuerſantur, méque anxium nocte ac die perterrent, ſed & quæ antiquis olim cognita iam aut omnino aut partim in deſuetudinem abierunt. Ex his mentem ſæpius ſubit & oculis quaſi ſeſe offert inſtrumentum illud tortorium, cui nomen eſt* Equuleo, *de quo crebrò eſt in auctoribus mentio, præſertim in his qui noſtrorum Martyrum vitas literarum monimentis mandarunt. Quamobrem mirari ſubit, cur ad hanc vſque diem nedum vulgo, ſed & eruditiſſimis viris incognitum deliuerit. Id ne ætati noſtræ ac poſteritati accidat, magnopere mihi elaborandum eſſe duxi. Nocturnis igitur horis, quas dominus Turca quieti indulgere ſolet, (diurnis quominus quidquam libero homine dignum præſtare poſſim, variis grauiſſimiſque laboribus impedior) in ergaſtulo vtcunque hac de re commentari ac ſcribere cœpi, ac tandem fauente Deo factum eſt, vt librum abſoluerim, non eum quidem qui in conſpectum tuum ínque tuas manus,* Vir generoſiſſime, *iure*

deſcendat, (maxima ſiquidem maximis tuique ſimilibus viris, non vt hæc noſtra exilia minimáque, offerri ſolent) ſed eum tamen quem legiſſe haudquaquam pœniteat; nos enim, etſi libris omnino deſtitutos, & in calamitate non vulgari vix mentis compotes, inſtrumento vt ſæuiſſimo, ita obſcuriſſimis tenebris antea demerſo, lucem attuliſſe facilè animaduertes. Interim verò dum leges, vernam hunc noſtrum venientem, omni prorſus ornatu deſtitutum, à parente, vt à matre Iudæum (Martialis verbis vtar) rogare doctum, amplitudinem tuam obſecrare & obteſtari ſcias, vt mihi aliquo pacto opem feras, meúmque hoc infortunium depellas. Hominem alicuius exiſtimationis, vt qui in literis ætatem conſumpſit, rémque literariam multis iam editis libris, nonnihil promouit, ne deſtituas rogat, ne in vno multos (quod ſine arrogantia dictum ſit) & multa perire ſinas. Illud quoque tibi in mentem reuoca Gallos (quod à Gulielmo Budæo eruditiſſimo viro adnotatum fuit) vel antiquiſſimis temporibus Philoſophiæ, ac literarum bonarum fuiſſe amatores: bonas literas in Gallia maximè florere; Gallorum Principes, ac tui ſimillimos viros, literatos homines fouere conſueuiſſe: è quibus vnum minimè ſilentio inuoluam. Hic eſt Epiſcopus Claromontanus, cuius liberalitate Angelus Caninius ciuis affiniſque meus (vt eſt ab eo in præfatione in librum Introductionis in linguam Syriacam & Punicam teſtatum) aliquando in Gallia auctus eſt atque exornatus: cui tantum ille tribuebat, quantum nemini. Atque vtinam Italorum Principes Galliæ Principum ac Dynaſtarum hac in re multiſque aliis ſimiles eſſent! non enim linguæ Latinæ candor, non bonarum literarum notitia aliò commigraſſent. Verùm, Heros ampliſſime, ac Patrone optime, *hæc non eo ſpectare ſcias, vt Græcos Philoſophos imitari velim: hos Cicero ait, ſtipem emendicare ſolitos, Latinos non item. Longè à patria atque amicis diſitus, mutuis quibus redimar è ſeruitute pecuniis non multis indigeo. Non ſum erro, non decoctor, nullius crumenam exhaurire velim. Sed iam tempus eſt vt tibi Equuleum ſpectandum proponam.*

DE EQVVLEO
HACTENVS INCOGNITO
LIBER HIER. MAGII,

Ad Illuſtriſſimum Chriſtianiſſ. Gallorum Regis Oratorem Byzantij.

CAPVT I.

Inſtrumentum de quo agitur, cur Equuleus *nuncup tur.*

SÆPENVMERO naturam ad cenſuram vocari, & eo nomine accuſari animaduerti, ORATOR AMPLISSIME, quòd homini non ſolùm breuem vitæ curſum præſcripſerit, ſed eiuſmodi corpus adſtruxerit quod innumeris morborum cruciatibus & tormentis vexari conſueuerit; vt non in vitam, ſed potiùs in quamdam carnificinam produxiſſe videatur. His ego haud facilè aſſentior, quin rerum omnium parentem clementiſſimam naturam & admiror & laudibus proſequor, quia cùm moriendi ſit nobis non iniuriâ conciliata neceſſitas, ex immenſa ærumnarùm congerie citam vitæ breuitate fugam præſtiterit, angoréſque & dolores accedere paſſa ſit, vt his quibuſdam quaſi condimentis quod vltimum omnium terribilium dixit Philoſophus, libentius exciperemus. Hinc in dies vſuuenit, vt qui doloribus non vulgaribus

Digitized by Google

ribus morbo affecti excruciantur, mortem quaſi præſentaneum remedium ac pharmacum vltro accerſant, & cum Plinio affirment, homini nihil vitæ breuitate melius eſſe à natura tributum. Qui naturam, quæ nobis morbos corporis tortores ſæuiſſimos adiunxerit, accuſant, videant ne homines nonnullos potiùs accuſare & maledictis proſcindere oporteat, qui in magno humani corporis dolorum & veluti carnificum prouentu, varia excogitarunt organa, multiplicéſque adinuenerunt artes, quibus homines torquerent, excarnificarent, & per ſummos cruciatus enecarent. Horum omnium longè ſæuiſſimum illud eſſe inſtrumentum coniecturâ ducti exiſtimamus, quod *Equulei* nomine ſcriptores appellarunt, & de quo præſentem inſtituimus tractationem. Eam ob rem equuleo ſæpe Martyres ſanctos conſtat eſſe vexatos, & ſæuiſſimos Tyrannos equuleos vſurpaſſe. Cur autem dicatur *Equuleus*, nemini (opinor) eſt notum. Ego ea de cauſa hoc nomine ſignificatum exiſtimauerim, quòd parui equi, ſeu pulli equini effigiem repræſentaret. *Equuleos* autem equinos pullos nuncupari, nemini eſt obſcurum, & qui infrà à nobis huius inſtrumenti * delineatam formam intuebitur, nobis haud ægrè aſſentietur. Ratione non abſimili Italorum vulgus lectorum fulcra, quæ quaternis pedibus innituntur, *cauallettos* dicit, quaſi Latinè voces *equuleos*: eodémque nomine appellat ſcamna illa quibus inſident, & in quibus verſantur minora tormenta igniuoma. Poterat & condignè *ſcamnum* appellari, exemplo Hippocratis medici, qui non diuerſum admodum ab equuleo noſtro organum à ſe excogitatum *ſcamnum* vocauit, cuius etiam * formam inferiùs ſuo loco appingemus. *Equuleum* autem cum litera Q, & duplici V, ex recepta conſuetudine, cui aſſentiri par eſt, non autem cum littera C, & ſimplici V, ſcribimus. Quamquam non me latet antiquos *Eculeum* dixiſſe, quemadmodum & *Ecum* pro *Equo*, *Cocum* pro *Coquo*, & reliqua ſimilia: vt apud Lucretium, & in antiquorum, quæ hodie ſuperſunt, monumentis fuit à nobis aliquando obſeruatum. Quo fit vt non facilè aſſentiar Iodoco Badio non infimæ claſſis Grammatico, qui in Commentariis ſuis in Horatium, *Equuleum* rectè *Eculeum* barbarè ſcribi affirmat. Si enim *Eculeum* dixerimus, quod nonnulli fecerunt, non barbarè ſed antiquorum more loquemur. Sed hæc ſatis aperta ſunt. Nunc quid ho-

* Non exſtat.

* Non exſtat.

M in

mines docti, & ſuperiorum ſæculorum ſcriptores, de hoc inſtrumento ſenſerint, & in quanta erroris caligine verſati ſint, deſpiciamus.

CAP. II.

Laurentij Vallæ de Equuleo ſententia.

LAVRENTIVS Valla homo doctus, qui primus Latinam linguam barbarie Gothica demerſam fœdatámque repurgare, & primæuo candori reſtituere aggreſſus eſt, vt eſt elegantium verborum ſectator egregius, ita nonnunquam antiquitatum explicatione hariolus mendax. Quàm turpiter de Regionibus vrbis Romæ mentiatur, antiqui lapidis Capitolini monumentis, aliàs demonſtraui; vt qui cenſor prædurus in omnes auctores extitit, & mortuus humum quoque mordere (ſi Alciato credimus) dictus ſit, ea de cauſa acerrimæ reprehenſionis notam ſubeat. Hic igitur libro primo Elegantiarum in eo capite, in quo de fide & fidibus loquitur, ait fidiculas fuiſſe inſtrumentum tortorium, quod olim fieret duobus lignis tranſuerſis: hæc enim ipſius ſunt verba. Fidiculæ autem, vt infrà ſumus oſtenſuri, idem ſunt cum equuleo. Sed quæ ſimilitudo duobus lignis tranſuerſis cum fidibus, aut cum equulei organo? Mirari ſatis nequeo vnde hic auctor tranſuerſorum lignorum commentum deſumpſerit. Equuleum autem cum fidibus ſimilitudinem quamdam habuiſſe, inferiùs quiſque videre poterit. Sed & cur ſua ætate equulei vſum non agnoſcit Valla? ſiquidem apud Gallos atque Hiſpanos, vt multarum antiquitatum, ita & equulei, quod infra apertum reddemus, inuentum atque vſus ſemper manſit, atque hodie viget; quamquam non *equuleum* vocant, ſed Galli *Gennam*, Hiſpani, voce inſtrumento admodum congruente, *Pulliedro*, quo nomine & pullum equinum vulgò appellant.

Digitized by Google

CAP. III.

Quid Raphael Volaterranus de Equuleo ſcriptum reliquerit.

RAPHAELIS Regij Volaterrani, viri de re literaria bene meriti, Commentaria Vrbana omnium manibus, quòd bona fruge referta ſint, hodie teruntur. In his ille è re nata de equuleo loquitur, atque ait, fuiſſe illud tormenti genus, quod noſtra ætate maximè vſurpant latrunculatores & magiſtratus, quibus inquirendi facultas conceditur, quod *funis* nomen habet. In hoc enim homines brachiis poſt terga reuinctis, funíque per trochleam transducto alligatis ſuſtolluntur, & mox pendentes ſtatim demittuntur, vt his brachia ponderis vi, quâ humeris iunguntur, facilè luxentur, cruciatu mehercle magno. Sed ſcopum non attigit vir alioqui ingenii perſpicacis: ſiquidem Seneca in epiſtolis ipſi non parum aduerſatur; nam de neſcio quo homine ait, *In equuleo longior factus.* & auctores qui de equuleo faciunt mentionem, non ſemel aiunt, *Coniectus in culeum.* Qui verò hodie vulgato cruciatus genere fune torquentur, quomodo longiores fiunt? quo pacto coniiciuntur in aliquod vas aut inſtrumentum capax? Sic enim loqui conſueuere auctores Latini, *coniectus in dolium ferreis clauis præfixum; coniectus in arcam; coniectus in lebetem.* Et de his qui detruduntur in locum aliquem ſimiliter capacem: *Coniectus in carcerem: coniectus in fornacem: coniectus in latrinam:* quæ loca coniectum excipere & continere poſſint. In vulgato autem funis tormento qua ratione id fieri aut exprimi poſſit, non equidem video. Funis ſiquidem pendet è trochlea, cui alligantur manus torquendi, & nihil eſt quod torquendum excipiat; quod omnibus notum eſt.

Digitized by Google

CAP. IV.

Iuris Cæſarei & Pontificij interpretes Equuleum minimè nouiſſe.

IN Iuſtiniani Imperatoris Auguſti Codice ſub titulo De Ariolis & Mathematicis, fit equulei mentio his, ſi rectè memini, verbis: *Equuleo deditus, vngulis latera ſulcantibus, perferat pœnas.* &c. Cuius vocis ſignificatum ad eum locum Accurſius interpres omnino ignorans, ſicco pede prætergreſſus ſilentio inuoluit, in eiuſmodi antiquitatibus hallucinari, & Andabatarum more, vt prouerbio fertur, pugnare ſolitus. In iure quoque Pontificio non ſemel Equulei mentionem eſſe factam animaduerti, & Gloſſularium ſomnia mera in vocis explicatione afferre, quæ ſi memoriâ tenerem, hîc referre non grauarer, vt quantùm ille à vero aberrauerit, vnuſquiſque poſſet intelligere.

CAP. V.

Andream Alciatum, & Hieronymum Cardanum Equuleum ignoraſſe.

DIVINI & humani iuris interpretes Equulei inſtrumentum ignoraſſe, nemini mirum videri debet; ſiquidem humaniorum literarum expertes & alia hodie cuiuis obuia & cognita ignorarunt, vt eorum ſæculum non ipſos accuſes. Sed quid de Alciato eruditiſſimo viro loquar, qui Iano Parrhaſio præceptore antiquitatum omnium peritiſſimo vſus, & in mitioribus ſtudiis plus quàm par eſſet verſatus, vſque adeò vt à iuris notitia nonnihil ea de cauſſa ſæpius exciderit, huius organi tortorij ſignificatum non eſt aſſequutus. Nam in libris ſuis de verborum ſignificatione, Equuleum pro funis tormento non ſine errore magno accepit. Hieronymum Cardanum Philoſophum & Medicum, multis editis libris maximè illuſtrem noſtræ ætatis ſcriptorem, & qui auctores omnes ſcrutatus eſſe videtur, in eiuſdem inſtrumenti

Digitized by Google

ignoratione verſari ſatis mirari nequeo: quandoquidem in libris de Varietate rerum facta Equulei mentione, vulgatum funem tortorium non ſine errore eſſe dicit.

CAP. VI.

In Calepini Lexico quæ explicatio Equulei legatur.

AMBROSIVM diui Auguſtini fratrem cucullatum, ab opido in quo natus eſt *Calepinum* nuncupatum, Græcarum literarum omnino expertem, & humanioribus literis vix tinctum, omnium ſcriptorum fortunatiſſimum dicere ſoleo, quòd cùm Latinum lexicon Græcorum exemplo ediſſet, non id quidem quod à doctis legeretur, ſed ab his qui in Grammaticorum ſcholis adhuc verſarentur, inornatum, aridum, & exemplis è ſacræ ſcripturæ interpretibus ſæpius quàm è Cicerone depromptis refertum, doctiſſimorum poſtea virorum curâ atque operâ factum eſt, vt hoc opus ad immenſam magnitudinem excreuerit, vt iure Calepon, id eſt *graue*, dici poſſit; & copiâ verborum vocúmque non ſine elegantia ſatis expletum iam non à pueris modò ſed ab omnibus legatur, vt nullus ſit, qui non Calepino aut palàm aut tectè hodie vtatur. Tandem enim Geſneri & Manutij additamentis & caſtigationibus ita auctum atque exornatum prodiit in lucem, vt nihil in eo deſiderari poſſe videatur. In hoc tamen, in voce *Equuleus*, legitur hoc inſtrumentum nihil aliud fuiſſe, quàm laminam ferri ignitam, quâ homines torqueri conſueuiſſent. Sed per Deum immortalem quid potuit dici inſulſius? Quid laminæ ignitæ, cum paruo equo ſiue pullo equino commune? Hanc explicationem nullus à riſu defendet. Eum autem, qui talia ſcripſit, eò deceptum fuiſſe arbitror, quòd Valerius Maximus, & Fabius Quintilianus, vbi de Equuleo mentionem faciunt, & laminæ ignitæ candentiſque meminerint. Sed quo pacto laminæ ad Equuleum ſpectarent, inferiùs à nobis demonſtrabitur.

Digitized by Google

Cap. VII.

Qualem Pictor Brixiæ equuleum picturâ expreſſerit.

Brixiæ vrbe Italiæ florentiſſima, vt Bernardinus Felicianus vir eruditiſſimus & mihi longè chariſſimus retulit, viſitur hodie pictura ſuperiorum ſæculorum, quæ antiqua dici poteſt, expreſſum, quo pacto ſanctus neſcio quis Martyr tortus olim fuit equuleo. In ea pictor Martyrem equo ligneo eo more inſidere facit, quo ſolent qui equis vehunt. Pedibus tamen Martyris funes alligantur, qui per trochleas ducti, ac tympanis verſatilibus tenſi tibias pedéſque deorſum trahunt ac producunt, vt præter coxendices, tibias, & pedes reliquum corpus nihil patiatur. Quam picturam in charta lineis repræſentatam cùm Venetiis annis ſuperioribus conſpexiſſet Franciſcus Spinola poëta non omnino ſpernendus, per bibliopolarum tabernas oberrans plauſu ſanè magno affirmabat, ſe tandem veram equulei picturam ſpectaſſe, pulchrámque antiquitatem cognitam habere. mihi tamen qualis ea eſſet, aperire noluit, quaſi eſſet aliquid ea de re mox in lucem editurus, qui tamen poſtea præter libellum de ratione intercalandi, & Carminum, Odarum ac Epigrammatum volumina aliquot, nihil cùm edidiſſet, Venetiis hæreſeos damnatus mari demerſus eſt.

Cap. VIII.

Qua voce Græci huiuſmodi inſtrumentum ſignificent. Scholiaſtes Ariſtophanis & alij reprehenſi.

Qvem Equuleum Latini noſtri vocant, Græci τύμπανον dixerunt. Quod eo inſtrumento infligitur tormentum cùm ſignificare volunt, τυμπανίζω dicunt, vt cùm apud alios Græcos ſcriptores, tum apud Iulium Pollucem in Onomaſtico quiſque videre poteſt. Ariſtophanis antiquus interpres, vir alioqui non indoctus, in Plutum non ſine errore maximo ſcriptum reliquit, Tympanum, id eſt Equuleum, lignum

Digitized by Google

fuiſſe quo verberabantur ſontes à carnifice. Quem ſequutus eſt Rodulphus Gualtherus in quibuſdam in Iulium Pollucem, quem ipſe Latinum reddidit, annotationibus. Eodem luto hæſit Scholiaſtis vetuſtate & auctoritate ductus Carolus Sigonius vir doctiſſimus, & amicus meus, in libris de Republica Athenienſium. Sed quid ligno aut fuſti cum equo paruo & verſatili tympano? Niſi fortè antiquus ille interpres tympanum dictum, quòd in tympani morem tunderentur hoc ligno ſontes, exiſtimauerit; aut eius contextus ſit lacunoſus & deprauatus, vt ille in hanc ſententiam loquutus ſit; Tympanum eſt inſtrumentum ligneum, in quo diſtenti cædebantur & vapulabant ſontes. Non enim fit mihi veriſimile, illum inſtrumenti quod ſua ætate maximè eſſet in vſu, ignarum fuiſſe. Sed ſuo quiſque vtatur arbitrio: volumus namque, vt par eſt, iudicia eſſe libera. Si autem à tympano ſumpta ſimilitudine fuſtem illum ſic dictum cenſuit, reſpondeo non fuſti id nominis congruere, ſed ſontibus.

CAP. IX.

Diuus Ioannes Chryſoſtomus & Theophylactus verbum Τυμπανίζω quomodo expoſuerint.

DIVVS Paulus ſanctorum virorum mortes ac tormenta, quæ propter Chriſti fidem pertulerunt, enumerans, ait, ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν. id eſt, *Alij autem tympanizati*, vel *extenſi ſunt*. Ad quem locum Theophylactus Græcus interpres, & ante Theophylactum Ioannes Chryſoſtomus ſanctitate vitæ & eruditione planè admirandus, inquit, ſignificari crucis tormentum, in quo ille diſtenderetur. Sed aliquis fortaſſe dixerit, ſe non videre quo pacto & hic cruciatus cum equulei ſiue tympani tormento conueniat: nam qui cruci olim affigebantur, etſi porrectis extenſiſque pedibus, & paſſis brachiis conſiſtebant, vt in ſanctiſſimi Seruatoris noſtri imagine animaduertimus, nullibi tamen legimus eorum tibias vel brachia tympanis tendi conſueuiſſe, aut ea de cauſa cruci addictos fuiſſe vt diſtendendo trahendóque torquerentur. Ea tamen explicatio multis plauſibilis fuit.

Digitized by Google

CAP. X.

Diuum Thomam à Theophylacto & D. Io. Chryſoſtomo diſſentire. Thomæ ſententia comprobata, quòd ſit Græco verbo congruens.

DIVVS Thomas Aquinas, qui propter reconditam doctrinam & quaſi è cælo & Angelis deſumptam, *Angelici* cognomentum adeptus eſt, à prænotata Theophylacti & Chryſoſtomi ſententia non parum diſcrepat. Inquit enim in commentariis ſuis ad eum Pauli locum, per verbum illud ἐτυμπανίσθησαν, id eſt, *tympanizati* vel *diſtenti ſunt*, ſignificari eo loci Equulei cruciatum. Cuius ſententiam nemo non plauſu excepturus eſt, qui noſtram de Equuleo explicationem legerit. Quamobrem facilè crediderim ſpiritu Dei Thomam potiùs afflatum, quàm Græcorum Ethnicorúmque auctorum, quos contempſit, ſcriptis admonitum talia protuliſſe. τυμπανίζεσθαι autem dicunt Græci de his qui in Tympano torquentur, quòd in tympani tenſilis & pulſatilis morem eorum corpora quæ torquebantur in equuleo diſtenderentur, & tympanis verſatilibus in equuleo locus eſſet, vnde & τύμπανοι huiuſmodi organum dictum à Græcis. *Tympana* verò appellant Mechanici, vt patet apud Vitruuium, Oribaſium & alios, axes quorum capita foramina habent, quibus induntur vectes, quò faciliùs verſari poſſint, iiſque funes aduoluantur, quibus pondera vel protrahuntur vel ſuſtollũtur, vt ergatas non ad perpendiculum, vt fit, conſiſtentes eſſe dicas, ſed iacentes potiùs. A verbo τυμπανίζω vel à Tympano pulſatili & tenſili, vel à tractorio verſatilíque quod tendat, apud Paulum Æginetam, & alios Græcos Medicos dicitur *tympanitis* hydropis ſpecies illa flatuoſa quæ in tympani morem tumentem vterum diſtendit, vt inſtar tympani pulſatilis ſit.

A quibus

CAP. XI.

A quibus Equuleus fuerit excogitatus.

QVIS autem tormenti genus, de quo agimus, excogitauerit, non facilè dixerim, auctoribus quos mihi legere contigit hac de re nihil prodentibus. Animaduerti tamen apud Ciceronem in Tuſculanis Quæſtionibus, vt arbitror, & apud alios literis proditum, Græcos Equulei fuiſſe vt rerum multarum auctores. Profectò machinarum pæne omnium Græcos extitiſſe auctores nemo non affirmabit, qui Vitruuium, Oribaſium, Heronem, Pappum, Bitonem & Athenæum legerit, vt miram huius nationis ſolertiam, quæ tamen hodie interiit, maximè ſuſpicias, admireris, & laudibus proſequaris. Adde quòd apud Græcos ſæuiſſimi Tyranni rerum ſunt potiti, vt horum imperio Mechanicorum auctam fuiſſe induſtriam credere poſſis, eóque prouectam, vt equuleos & alia tortoria organa in eorum gratiam adinuenerit. Sed iam ad Equuleum noſtrum accedamus.

CAP. XII.

Auctoris de Equuleo ſententia.

EQVVLEVM ego crediderim fuiſſe ligneum ſcamnum ſiue ligneam arcam pedibus quatuor.

** Reliqua deerant: qua tamen reſtitui poſſe in parte videntur ex ſchedis adiectis auctoris manu deſcriptis. Continebant illa totius quaſi operis materiem paucis. Nos ea modò cenſuimus adiicienda qua deerant. ex fragmenti mole videntur tot capita ſecutura fuiſſe quot praceſſere. Lector hac boni conſulat, ſciátque quòd raptim ſcripta hac erant, multum nobis difficultatis obortum in legendo, adeò vt in nonnullis expedire nos nequiuerimus. Iis tale ſignum additum eſt *. Ceteras lacunas auctor ipſe libris deſtitutus reliquit.*

Sed iam ad Equuleum propiùs accedamus. Equuleum exiſtimamus fuiſſe ligneum ſcamnum ſiue ligneam arcam

pedibus quatuor ligneis conſiſtentem fundóque carentem, quæ vtrimque capiebat tympana & funes quibus manus pedéſque ſontium & torquendorum obligarentur & protraherentur, non ſine magno, vt coniecturæ locus eſt, dolore totius corporis. Quamobrem Seneca inquit loco prænotato, *In Equuleo longior factus eſt.* re manifeſtum hoc pacto, oſſibus è compage motis ſolutíſque, corpus productum fuiſſe. In hoc pendere ſolebant, quia ſuſpenſi aëre in vacuo, corpore eo pacto extenſo, non è ſimplici fune ad perpendiculum, vt alij cenſent. Equulei autem nomen huic inſtrumento congruere quis non videt, cùm & hodie ſcamnis quibuſdam...... *...... iam antè conſiſtebant & voluebantur, *cavaletti* appellantur, & eodem nomine ſignificantur ſcamna parua quibus lecti ſuſtinentur.

*Quæ abſunt hic legi non poterant in autographo.

Adde quòd Aurel. Prudentius poëta Chriſtianus, in martyrio Romani & Vincentij ſanctitate non vulgari hominum, optimè huiuſmodi inſtrumentum appingere videtur, & in quo *diuaricatis cruribus* (vt eius verbis vtar) conſiſtere tortos demonſtrat, & etiam *fidiculas* appellat, non ſolùm *equuleum*.

Val. Max. de .... *laxauit equuleos, laminas extinxit*, &c. Quo pacto autem laxari poterat funis, ſi funis tormentum eſſe velimus, & laminæ extingui.

Quintilianus in declamationibus vbi de filio à patre torto per iniuriam maximam agit, nonnihil appinxit equuleum. inquit enim, ſenem artificem equuleos mouiſſe, & corio filij corpus totum compage ſolutum. inprimíſque meminit laminarum & flagellorum. Funis autem tormentum qua ratione moueatur, ſcimus, non arte vlla, ſed trahentis manu, & totius corporis compagem ſoluere non animaduertimus. Brachia ſolùm laxare ſcimus quà humeris ſpatulíſque iunguntur.

Fidiculas equuleum appellaſſe Prudentium poëtam diximus. Sed erit fortaſſe aliquis qui hoc neget, exiſtimans diuerſum tormenti genus fuiſſe. Ego idem fuiſſe dico & affirmare vel quouis pignore auſim, quod Suetonij auctoritate demonſtro. inquit enim in Caligula Imp. illud quoque tormenti genus excogitaſſe, *vt larga meri potione oneratos & veretris deligatis ſimul & vrina & fidicularum tormento diſtenderet*, & affirmaſſe etiam *ſe de* vxore *fidiculis exquiſiturum cur tantopere eam diligeret*. Sed apud illum poëtam non obſcurè me à ve-

* *In margine hæc erant*: Non ſine ſimilitudine fidium ſicut illæ clauiculis ſiue pectinibus tenduntur, *&c.*

Digitized by Google

ritate non aberrare potes cognoſcere locis prænotatis. Sic apud Iureconſultum ff. . . . . & C.

Hodie ſeruatur antiquum inſtrumentum apud Hiſpanos & Gallos. Hi *Gennam* vocant, Hiſpani *Pulliedro* voce meliori. equuleos enim *Pulledros* & Itali vocant. Viſitúrque huiuſmodi tormentum Neapoli in arce ab Hiſpanis inuectum, quo in inquiſitione criminis læſæ maieſtis ſolùm vtuntur. Ioan. Vinc. Pinellus nobiliſſimus atque eruditiſſimus vir pollicitus eſt aliquando ſe curaturum vt ego delineatum illud conſpicerem.

Magnam ſimilitudinem habebat cum ſcamno Hippocratis, vt videre eſt apud Hippocratem in lib. . . . . & apud * quatuor enim habet pedes, & tympana continet quibus humani corporis membra trahi & tendi poſſint, ſi quando fuerint locis ſuis dimota . . . . * que.

Equulei autem pœnam ſeruilem appellat Prudentius, eò quòd nobiliores & ingenui non poterant eâ torqueri, vt patet apud Iuſtinian. C. . . . . & in ff. vbi de Decurionibus & in tit. de pœnis.

Qui autem in equuleo torquebantur, non ſolùm diſtendebantur, ſed etiam alios cruciatus patiebantur. nam flagris cædebantur. Vnde Quintil. ait loco prædicto, *per flagella, per verbera*, loquens de equulei tormento.

Item laminis ignitis torquebantur. Quamobrem Val. Max. ait, *Extinxit laminas, laxauit equuleos.* Quintilianus quoque ait, *Accendis laminas*, &c.

Adde quòd & vngulis ferreis eorum cutis ſolebat laniari qui in equuleo torquebantur. Vnde Iuſtinian. de Mathem. in C. vbi ait, *ſit equuleo deditus & vngulis latera ſulcantibus ſcelere dignas perferat pœnas.*

Sed iam equuleum picturâ exprimamus.

* *Pictura in manuſcripto non extabat.*

In martyrum vitis, *ſuſpenſi in equuleo.* Cic. *Virtus in equuleum non conicitur.*

FINIS.

GOTHOFREDI IVNGERMANI
NOTÆ
AD LIBELLVM HIER. MAGII
DE EQVVLEO.

Ad pag. 263.

QVÆRAS in ipſo limine & aſpectu ſtatim libelli non fruſtrà, MI LECTOR, de nomine illius, cui MAGIVS inſcripſerit commentariolum ſuum. Quod igitur ad locum vacuum attinet poſt illa verba, ***ad illuſtriſſ. & magnanimum Dominum***, noſtro Segheto videtur hîc ſpatium relictum nomini Oratoris. & reperire ſe ait in Ephemeridibus Arnoldi Manlij, (qui eodem tempore, quo Magius Byzantij ſeruitutem ſeruiebat, medicinam faciebat in familia Oratoris) ***Franciſcum de Noailles Epiſcopum Aquenſem fuiſſe eo tempore Oratorem.*** Nec dubito quin verè ipſi ita viſum, veráque reppererit: præſertim quum à viro quodam ampliſſimo, ſuper ea re ampliùs inquirens, per litteras fuerim edoctus, Iac. Aug. Thuanum, hiſtoricum æuo hoc noſtro principem, ſcribere, anno M. DLXXIII. & ſequenti illuc miſſum fuiſſe Franciſcum Noallium, Aquenſem apud Tarbellos Epiſcopum, regium in porta Othomanica Oratorem: cui poſtea ſucceſſor miſſus Conſtantinopolim frater Ægidius Noallius fuerit: ídque eueniſſe illo ipſo anno MDLXXIII. inuenire ſe apud Ioannem Chœnium (qui legationem Monlucij ad Polonos ſcriptis mandauit) qui Oratorem illum nominet, ***Monſieur Dacqs***, id eſt Aquenſem: eius verò fratrem ſucceſſorem, Abbatem Inſulanum, *l'Abbé de l'Iſle.* ſe itaque cum Seghero noſtro exiſtimare, Aquenſi Epiſcopo Fr. Noallio inſcriptionem illam omnino deberi. Eodem autem modo in ea, quæ præfationi ſuperpoſita eſt inſcriptione, nomen omiſſum, & locus relictus vacuus. Cur non addiderit Magius, veriſimile eſt ideo accidiſſe, quòd illi de legati nomine non liquido conſtaret. Et, vt omnia bona fide repræſentemus, ſicuti ad nos Seghetus noſter miſit, ipſe libri titulus ita erat deſcriptus.

Digitized by Google

* Hunc librum mihi reliquit D. Hier. Magius paucis pòſt diebus ab impio Mahomete Baſſa ſtrangulatus Conſtantinop 1573.

HIERONYMI MAGII
DE EQVVLEO
HACTENVS INCOGNITO
LIBER,

Ad illuſtriſſimum & magnanimum dominum

Chriſtianiſſimi Gallorum Regis Oratorem Byzantij.

* Sum Arnoldi Manlij Conſtantinop. 1573.

Sic pagina prima, frons ipſa libelli, habebat, vbi aſteriſco notata, tam ſummâ quàm infimâ paginâ (quæ litterâ minutiore hîc excuſa vides) manu Arnoldi Manlij deſcripta fuiſſe, cetera, quæ in medio, ipſam nempe opuſculi inſcriptionem, ipſius Magij eſſe, Seghetus noſter indicauit. Septuageſimo tertio poſt milleſimum quingenteſimum à Chriſto nato annum, Magium ſtrangulatum credere inclinat animus, quòd idem annus etiam diſertè ad frontem libelli, quam hîc exhibui, à Manlio adnotatus fuit. Sed mehercle vereor, ne nos curioſos dicas nimis: ad præfationem igitur rectà & libellum ipſum.

AD PRÆFAT.

Pag. 270. *Clade Cypríca ſuperſtiti*] Vide Hier. Magij vitam, quam eruditiſſ. Fr. Suertius, quem honoris causâ nomino, noſtri auctoris libello de Tintinnabulis, anno priore ex ipſius recenſione edito, præfixit.

Pag. 271. *Vt à matre Iudæum*] Martialis verſiculus lib. 12. epigramm. 57. ad Sparſum:

Nec turba ceſſat entheata Bellona,
Nec faſciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Iudæus, &c.

Epiſcopus Claromontanus] Eum didici *Gulielmum Pratenſem* vocari à Thuano, hiſt. lib. 13. anno 1554.

Digitized by Google

AD. CAPVT I.

Pag 272. *Quod homini non ſolùm breuem vitæ curſum*] Vt *Theophraſtus moriens accuſaſſe naturam dicitur, quòd ceruis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet: hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet*, &c. quæ ait Cicero 3. Tuſcul. quæſt.

Quod vltimum omnium terribilium dixit Philoſophus] Ariſtoteles nimirum Ethic. Nicom. l. 3 c. 6. φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος· πέρας γάρ.

Pag. 273 *Et cum Plinio adfirment*] l. 7. c. 1. *Natura verò*, ait, *nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius.*

Martyres ſanctos] Locorum planè ſiluam habes in Gallonij libro de SS. Martyrum cruciatibus.

Ego ea de cauſſa hoc nomine] Machinæ iſtius appellationem à paruis equis tranſlatam, nomen ſanè ipſum prodat, ſi id rei debet conuenire ſuæ. nec de eo viros doctos iam olim puto dubitaſſe, quamuis de ipſa ſtructura & vera forma equulei diſſenſerint, nec perinde notam habuerint. Fr. Horomanus lib. 5. antiq. ſub littera E: *Equuleus vel Eculeus, ſtipes cenſetur fuiſſe, in equi formam inciſus, cui imponebantur rei, vt neruis vtraque ex parte diſtentis cruciarentur.* &c. A. Turnebus lib. 4. Aduerſ. cap. 3. *Equuleus ſtipes erat cui velut equo, imponebantur; ac variè torquebantur, cruciabantur, & diſtendebantur.* &c. & lib 15. cap. 16. *Equuleus tormenti genus eſt à ſimilitudine nomen habens, quaſi paruus equus ſit. erat autem machina lignea equo ſimilis, cui imponebantur, qui torquebantur.* &c. Inde G. Fabricius in ſuis Comm. in poëtas Chriſtianos, vbi *Equuleum* expoſuit ſtipitem quemdam, in quo rei ſuſpendebantur, *Quærendum*, ait, *num eiuſmodi machina fuerit, de qua præcipitarentur ſontes, quam Saxones* das Roſsle *nominant, quaſi paruum equum.* Sic alij partim putarunt διὰ τὸ ἱππῶδες & à forma equina dictum equuleum; partim à modo inſidendi, quòd eo tormento non ſecus rei inſiderent, ac ſi equo veherentur.

Cuius etiam formam inferiùs] Delineationem ſe non repperiſſe teſtatus eſt ad oram Seghetus noſter. Remittit autem Magius nos ad caput vlt. ſui libelli. Sed nec Hippocrates Latina voce *Scamnum* appellauit vmquam: nec ab eo excogitatum volunt ξύλον illud, eiúſque inuentorem quemdam Paſicratem faciunt.

Quanquam non me latet antiquos Eculeum] Quanta inter Q & C cognatio, ex Grammaticis notum ſatis eſt: libétque ex ipſorum Alpha, Priſciano inquam, paucula ſaltem adſcribere hæc, lib. 1. *Apud antiquos frequentiſſime loco* cu *ſyllabæ*, quu *ponebatur, & econtrario: vt* arquus, coquus, oquulus, *pro* arcus, cocus, oculus, quum *pro* cum, quur *pro* cur. Hæc Priſcianus. Sed exemplorum, quæ noſtro addere potes, elegantem copiam exhibet eruditiſſ. & politiſſ. I C. Rad. Fornerius lib. 1. rerum quotid. cap. vlt. quem adeas de his vtiliter: vt & nuperum libellum Auſ Popmæ de vſu antiquæ locutionis l. 1. c. 3. quo de conſonantium inter ſe commutatione differit. Et ſubinde Criticis

Digitized by Google

noſtris hæc talia notantur paſſim. Ceterùm quod ad *Equulei* vocem attinet vulgata ſcriprura ea & recepta, Priſciano etiam proba viſa, cuius verba vbi de Diminutiuis agit, extremo lib. 3. ſunt: *In* leus, equus, equuleus. *Cic. in Ver. de ſignis: Equuleus argenteos nobiles quique maximi fuerant, aufert.* Ita apud Priſcianum eſt corruptiſſimè. Locum obiter ex Ciceronis ea de ſignis fidenter emendo, & ſcribo: *Equuleos arg. n. qui Q. Maximi f. a.* Mendorum cauſſa pateat cuiuis. Ciceronis autem verba plena in dicta oratione ſunt: *Tum iſte* (Verres) *ab equite R. ſplendido & gratioſo, Cn. Calidio cuius filium ſciebat Senatorem populi Ro. & iudicem eſſe, equuleos argenteos nobileis, qui Q. Maximi fuerant, aufert. Imprudens huc incidi, iudices; emit enim, non abſtulit. nollem dixiſſe. iactabit ſe, & in his equitabit equuleis. Emi: pecuniam ſolui.* &c. vbi ſeribunt ad oram, Lambinum adnotaſſe *eculeos argenteos* in 5. cod. legi: quæ ſanè antiqua ſcriptura huius vocis, retinéntque & recentiores multi. Id verò adeò permiror viros cetera eruditos & magnos Lambinianæ iſti notæ addidiſſe, fortè legendum *culleos argenteos* in eo Ciceronis loco, vt nimirum de vaſis vinariis loquatur. Quo mihi profectò, quod tamen ipſorum pace dixerim, nihil alienius à Ciceronis mente ſcriprum videtur. Nolim hîc, vbi non locus, plura verba profundere, vel inequitare cuidam longè me doctiori. Saltem mihi conſiderent iſta: *& in his equitabit equuleis*, vbi *equitandi* verbum Orator non alia de cauſſa certè affectauit, quàm ob illos equuleos argenteos, vaſa ex argento nimirum à forma vel cælatura ita dicta. Ne quid dicam, quod Priſcianus etiam non aliter olim iam legerit, quàm *equuleos*. Rem claram puto.

Apud Lucretium] vt lib 6. de rer. nat.

Tum color in nigris exſiſtit nubibus arqui.

habuiſti τὸ *arquus*, pro *àrcus*, etiam in Priſciani verbis paullo antè prolatis. Vnde mihi fiat leuiculæ ſaltem coniecturæ indicandæ venia. Sergius Grammaticus in primam Donati editionem Commentario, non longè ab initio: *Q verò, quam antiqui quoties* u *ſequebatur, præponebant, præſtantius eſt, vt tunc cùm poſt* u *aliqua ex vocalibus fuerit ſecuta, præponi debeat, vt* quando, quemdam, quia, quomodo, *& iuxta antiquos* æquus, *aliàs enim per* c *quàm per* q *ſcripſerunt, vt* cur, *&* cum. Hactenus Sergius. Pro illo *æquus*, an *arquus* fortè ſcribendum?

Iodoco Badio] Barbarè loquutus reuera Badius, quum barbarè adfirmaret ſcribi *Eculeus:* ideóque rectè à Magio notatur. Sed modeſtè tamen præquam ab aliis Criticis laceratur: quale carbone exaratum de eo elogium habes apud Fr. Floridum l. 2. lect. ſubciſiu. cap. 22. Poſſit tamen iſtos bonos viros, & in illis Badium (de quo ita & Glareano viſum eſt, eum non prorſus contemnendum) excuſare ſæculum quo vixerunt, ne ad ipſorum lapſus ſanè crebros in obſcura adhuc litterarum luce nobis ſtatim adeò turgeſcat vitrea bilis, vt eam hamaxatim (liceat ita ludere ne & me commotum putes) euomamus, ad quod procliuis perquam fuiſſe videtur ille Sabinus. Sed nolim mihi rem eſſe cum bilioſis: & vereor ne alicuius κινήσω τύμβῳ σφῆκας ὀργιζομένους. Ociùs ergo παρ-

μείζονα· & ad noſtrum *Eculeum* quod attinet, non barbarè ita ſcribi, ſed vetuſto more, & librorum antiquorum fide, habuiſti ſuprà à nobis allatum è Cicerone exemplum: paſſimque tibi vel aliud agenti occurrent in MSS. alia. Quibus addo tamen ex illis numquam ſine laude loquendis Gloſſariis, quæ primùm in lucem protulit eruditiſſima illa typographorum optimorum corona, H. Stephanus, vbi ſua ſerie in primo gloſſario ita legimus: *Eculeus*, στρεβλωτὶς, βασανιστίς. Quæ ideo potiſſimùm attuli, quum aliàs hæc conquirere, quæ ſe ſponte offerant, ſuperuacaneum videatur, ſi fortè leuiter emendarem. Puto enim ſcribendum στρεβλωτὴρ, βασανιστήρ. Nec improbabunt ij qui verſati fuere in vett. MSS. Græcis, in quorum nonnullis ρ & ς in fine verborum protſus eodem ſcribuntur modo. Inde nimirum error. Et βασανιστὴς eſſet potiùs ipſe tortor. Alterum gloſſarium, cuius verba non magis omittenda: βασανιστήριον. *Eculeus, genus tormenti.* βασανιστὴς, *Tortor*. Imò, vt & eruditiſſ. viri à noſtro æuo adnotationem adiiciamus, H. Giſanius *Eculeus* per *c* dumtaxat probaſſe videtur, quum in ſuis Obſeruationibus linguæ Latinæ ita ſcribat, quod opus vtinam emergat in dias luminis oras, vt furtorum tandem pauſa ſit, corniculáque illa notha ſe alienis pennis venditare deſinat. ſed ille ita ſcribit: Eculeus, ἱππάριον, *paruulus equus ſiue tener. Veteres ab* equo, *non* equuleus, *ſed* eculeus *deducunt. Eſt enim* c *littera commutabilis cum* q. *Ab eo & tormenti genus*, Eculeus. *Cic. 2. de natura Deorum:* Omnia in perfectis & maturis docet eſſe meliora, vt in equo quàm in eculeo; in cane quàm in catulo; in viro quàm in puero. *Sic* V. C. *habent, vbi vulg.* equulo. Hæc ille: quamuis in Conlectaneis ſuis in Lucretium, voce *Robur, equuleus* potiùs ſcribere maluiſſe videatur, certè vtrumque adprobet. Refert autem Cicero Chryſippi ſententiam, &, ni fallor, eamdem vetuſti cod. lectionem quoque iam antea teſtatus erat. ὀνειρώττειν οὖν ὡς ἀληθῶς ἐοίκασιν illi, qui ſignificatus diuerſitatem ex ſcripturæ varietate ſibi fingunt: quaſi alio nempe per *c*, alio per *q* ſcribatur.

AD CAP. II.

Pag. 274. *Si Alciato credimus*] Verba Alciati, ab amico mihi viro indicata, iſta lib. 4. diſpunctionum cap. 7. fine ipſo: *Sunt tamen qui de Iuſtiniano aliter ſentiant; nec temere Grammaticis de Iureconſulto credendum arbitrentur: quandoquidem etiamnum videamus, & ſæpiſſime experiamur, quanto ſupercilio id hominum genus, quo iure, qua iniuria & mortuos & viuentes inſectetur, quámque ſuis in ſtudiis ſibi placeant Moriæ beneficio felices, alios omnes contemnant: & epiſtolis ante ipſis Legum codices præfixis, Accurſium, Bartolum, ceteroſque acerbiſſimis conuiciis dilacerent: Imperatoris ſui Laur. Valla exemplo prouocati, cui mortuo honos hoc epitaphio habitus fuit:*

Tandem Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt:
Si quæris quid agat? nunc quoque mordet humum.

quod ſane carmen longe magis ipſis, quàm Valla conueniſſet, cuius do-

ctrinæ pleraque huiuſmodi condonanda ſunt. at hi ea maxime reprobant, quæ non intelligunt. Id verò diſtichon epitaphium Vallæ à quodam imputatum profert & Raph. Volaterranus l. 21. Comm. vrban. vbi de recentioribus eruditione & arte claris viris agit.

Hac enim ipſius ſunt verba] Non *tranſuerſis lignis*, vt noſter Magius ſe legiſſe putabat, ſed *obliquatis*, ait Valla. Hæc enim eius verba lib. 1. Elegant. c. 5. quod de diminutiuis nominibus eſt, vbi pluribus de ὑποκοριστικῶν *Fidicula* poſtquam egit, ita finit: *Denique fidis in nominatiuo inauditum eſt, ergo* fides *dicendum eſt, cuius diminutiuum* fidicula, *id eſt, parua cythara, vel chordula. In plurali tortorium (vt dixi) inſtrumentum ex duobus (vt reor) & obliquatis lignis compactum, vel ab extorquenda fide, ac veritate, vel à nerueis funibus, vinculíſque, quibus ad illum modum homines torquendi alligabantur.* Dixerat autem antea paullo: Fidicula *pro inſtrumento torquendi, quod an rite formetur, nunc videamus.*

Sed & cur ſua ætate] Nominis enim *Equulei* nulla in Vallæ verbis mentio, vt ex adſcriptis iam modò patet. Adeò vt quis dubitare non fruſtra poſſet, an Valla per *Fidiculas*, ſicut Magius quidem vult, Equuleum intellexerit, idque βασανιστήριον eo loco explicare cogitauerit. Aliàs nec *Fidiculas* rectè Vallam nouiſſe, adſeuerat Gallonius etiam in lib. de martyr. cruciat. c. 3.

Gennam] Et H. Iunius Nomenclatore ſuo, vbi Carceris & ſupplicij propria vocabula recenſet, *Fidiculas* Gallicè reddit *Gehenne* qui tamen Fidiculas & equuleum non vnum eſſe putauit inſtrumentum, quum de vnoquoque ſeparatim tractet. Noſter vnum fuiſſe contendit omnino, in cap. vltimo. Ego, ſi tanti quid mihi probetur, improbetúrve; diſtinguendum verò cum aliis potius arbitror inter iſta, nec Magius ea argumenta dicere infrà videtur, quæ nobis extorqueant ipſi adhibere fidem.

AD CAPVT III.

Pag 275. *Raphaëlis Regij Volaterrani*] Atqui putabam diuerſos fuiſſe Raphaëles, Regium alium, alium Volaterranum in qua opinione me confirmauit amicus, qui ſuggeſſit illum oratorem fuiſſe & litteratorem hunc politicum & hiſtoricum: illum Patauij docuiſſe, hunc Romæ: illum an. 1496 obiiſſe, hunc anno 1500. etiam in viuis fuiſſe. Vtut igitur Regius hîc ſe immiſcuerit, Magium noſtrum cum Volaterrano litigare conſtat.

In equuleo longior factus] Id tamen pro ſe adduxit Volaterranus, & neſcio an adeò ipſius ſententiæ (quamuis in eam alias non diſcedo) aduerſetur. Verba illius ſunt obiter ſaltem, vel, vt noſter Magius ait, è re nata ſermonem de hoc tormento facientis lib 31. Comm. vrban. extremo capite quo de doloris neceſſitate & remedio agit: *Sed præter omnes noſtri potiſſime martyres teſtimonio ſunt, quàm ſit animus probe inſtitutus, imperator vitæ mortalium. Ex quo vita beata & cum virtute non*

ſolùm in viola & roſa, ſed in tormentis & equuleo erit. Eſt enim Equuleus *id pœnæ genus quam hodie noſtri* funem *appellant. Quod ſane ex authoritate Senecæ in epiſtolis deprehendimus: Doloribus, inquit, diſtortus & in equuleo longior factus.* Hactenus ille. Funem iſtum verò, quem Volaterranus *Equuleum* eſſe ait, alij potiùs *Fidiculas* interpretantur. Ita enim H. Iunius in Nomenclatore ſuo: Fidiculæ *Suet. Machina multis inuenta funibus, quibus ceu fidibus diſtendebantur facinoroſi, ad exquirendam facti fidem.* κολαςήριον, πεντήριον. ἀρθρέμβολα, ξύλος *Ariſtoph* ξύλον βασανιστήριον *Sozomeno. Aleman.* Folterſeil, Zvvick, Treibſchnur, mit de man foltett. *Belg* Piinbanck. *Gall.* Gehenne. *Nebriſſenſis interpretatur illud tormenti genus, quod Italiæ familiare,* tratto di corda: *Hiſpanis* tratto de cuerda *vocatur: quo reus reſectis in tergum manibus fune ſuſpenſus in preceps demittitur.* Hactenus & ille. Locus verò Senecæ nobis prætereundus minimè eſt, noſtro & infra laudatus, qui tamen memoriâ in eo deceptus eſt, quòd putarit de aliquo certo homine ab illo auctore prolatum. Eſt autem hic non longè ab initio epiſtulæ 67. vbi inducit quaſi obiicientem ſibi Lucilium: *Si bonum eſt, inquis, fortiter torqueri, & magno animo vri, & patienter ægrotare, ſequitur vt iſta optabilia ſint. Nihil autem video ex iſtis voto dignum. Neminem certe adhuc ſcio eo nomine votum ſoluiſſe, quòd flagellis caſus eſſet, aut podagrâ diſtortus, aut equuleo longior factus.* vbi vides & *podagrâ diſtortus* eſſe apud Senecam, non *doloribus diſtortus*, vt Volaterranus laudat.

AD CAPVT IV.

Pag. 276. *Equuleo deditus*] Rectè meminit verborum legis Magius Ita enim in l. 7. *etſi excepta.* C. de malef. & mathemat Imp. Conſtantius A. & Iulianus Cæſ ad Taurum præfect. præt. reſcripſere: *Si quis magus, vel magicis carminibus adſuetus, qui maleficus vulgi conſuetudine nuncupatur, aut aruſpex, aut ariolus, aut certe augur, vel mathematicus, aut enarrandis ſomniis occultans artem aliquam diuinandi, aut certe aliquid horum ſimile exercens, in comitatu meo vel Cæſaris fuerit deprehenſus, præſidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat. Si verò conuictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, ſit equuleo deditus, vngulíſque ſulcantibus latera perferat pœnas proprio dignas facinore.* quamuis in libris multis *aculeo* legatur, ſicut me frater cariſſ Caſparus admonuit.

In iure quoque Pontificio] Vt in can. 1. 23. q. 5 ex Auguſtino ad Marcellianum comitem de Donatiſtis captis: *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti, quando tantorum ſcelerum confeſſionem non extento equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti: qui modus coërcitionis & à magiſtris artium liberalium & ab ipſis parentibus adhibetur, & ſæpe etiam in iudiciis ſolet ab Epiſcopis adhiberi.* quem locum mihi etiam frater meus, quem iterum amoris & honoris cauſſa nomino, indicauit, vt &

Digitized by Google

hîc in nonnullis codicibus *aculeo* legi: in editione verò Lugdun. *non extendente eculeo:* ad gloſſam ordinariam quod attinet, iſtam verò de verbo *Eculeo* non habere ſyllabam, ad hunc locum. Somnia itaque iſta mera, quæ ſibi finxiſſe gloſſulatium Magius ait, alibi inquirat qui volet, cuique vacat: mihi ſanè non videtur res tanti, vt ideo hîc moret vigilans, vel otio meo, quo aliàs mehercle non abundo, abutar, propter aliena ſomnia.

AD CAPVT V.

Alciati & Cardani loca mihi non in promptu. Iſtius etiam in libris 4. de V. S. vnde Magius iſtum errorem vellicandum ſe ſumpſiſſe ait, non apparere videntur. ſi mihi raptim percurrenti fides haberi poteſt. Sed potiùs autumabo, oculum meum curſim pertranſeuntem fugiſſe iſta Alciati verba, quàm vt Magij noſtri memoriam accuſem.

AD CAPVT VI.

Pag. 277. *Calepon*] *Chalepon*, χαλεπόν.

In voce Equuleus] Rectè taxat confundentes Equuleum cum laminis, locáque Valerij & Quintiliani, è quibus errorem hunc emanaſſe, malè intellectis, putat, cap. vlt. proferre conatur, quod adeas. Sed emendarunt hunc errorem ex parte nouiſſimi Calepini editores Sic enim in illo, quem vltimò Baſilea exhibuit, legitur: *Eſt & tormenti genus, quo ad exprimendam e noxiis, conſciiſve veritatem Romani vtebantur: ita dictum (vt quibuſdam placet) ab equi forma: tametſi alij ardentem laminam malunt interpretari.*

AD CAPVT VII.

Pag. 278. *Hæreſeos damnatus*] Aliter narrat Martyrologium Gallicanum, quod videſis.

AD CAPVT VIII.

Iulium Pollucem in Onomaſtico] Pollux noſter cum aliis verbis inter ῥήματα recenſet, & quidem compoſitum, non ſimplex: nec explicat. verba eius ſunt l. 8. c. 7. ἀπὸ δὲ θανάτου, ἐθανατώθη, ἐθανάτωσεν, ἀπέκτεινεν, ἀνεῖλεν, ἀποσφάξαι, ἀπάγξαι, ἀποτυμπανίσαι, καταοκρημνίσαι, κατὰ κρημνοῦ ὦσαι. Et ſtatim in instrumento δημίου ſeu carnificis recenſet ipſum tympanum: καὶ τὰ ἐργαλεῖα αὐτοῦ, ξίφος, βρόχος, τύμπανον, φάρμακον, κώνειον. In MSS. Palat. vetuſtiſſ. eſt τύπανον, ſicut etiam dicebant, vt vel in Etymologico magno, verbo ῥύμβω, τύμπανον, & φιλοκτπαίωτα πς videre potes, idque magis κατ᾽ ἀναλογίαν, quum τύμπανον πλεονασμῷ τοῦ μ inde factum fuerit, quod tamen vſitatius eſſe videtur, & τύπανον poëtis propter metrum, potiùs vſurpatum eſſe Sed priore Pollucis loco interpres vulgatus Rod. Gualtherus *fidiculis exten-*

derunt reddit τὸ ἀποτυμπανίσαι. in quo ſi non alium, tamen Magium noſtrum facilè habebit ſubſcriptorem, qui Fidiculas nil aliud quàm Equuleum eſſe contendit. Sed cur Iulianus ille interpres, ſi hoc ſentiebat, non & altero loco τύμπανον *fidiculas* in ſua tranſlatione dixit, ſed retinuit Græcum nomen *tympanum?* verùm quid ille dicat, quid ne dicat, non valde attendendum arbitror, in Polluce quidem: ita multoties à vero ſenſu aberrauit, & lapſus eſt infinitis locis, quemadmodum & eruditiſſimus amicus noſter Vuolfg. Seberus in noua illius Onomaſtici editione obſeruauit. Nolim inſultare cuidam iuueniliùs: τὸ αὐτὸ δ᾽ ὅμως βοᾷ. Alibi quoque auctorem noſtrum in errorem pertraxit, quando Latinam ſaltem interpretationem illius inſpicere ſatis habuit, vt mihi conſtat ex Miſcellaneis Magij. Quamuis hic tamen ab eodem, ob tympani explicationem, non iure vapulet Gualtherus, cuius verba priuſquam vlteriùs progrediar, adſcribo. Sic enim ad Pollucis locum priorem adnotat: *ἀποτυμπανίζειν eſt tympanis ac fidiculis extendere. Tympanum enim lignum erat, quo nocentes cædebantur extenſi. Proprie autem σκυτάλην vocitant. Hoc autem ſupplicio olim hoſtes ſuſtulerunt, donec gladij vſus receptus eſt.* Sed ἀποτυμπανίζειν, propriè videtur eſſe, fuſtibus necare: τύμπανον verò rotundus ille fuſtis vel bacillus eſt, quo adminiſtrabatur hæc pœna. Ei rei argumenta, ni fallor, ſat firma dicunt Lexicographi Græci veteres. Magius verò errauit planè (ὡς τὴν σκάφην σκάφην λέγω) dum veteres cum nouis, Scholiaſtem priſcum cum Gualthero & Sigonio reprehendit, qui τύμπανον tamen explicant, è quo ille omnino Latinorum *Equuleum* facere vult. De Ariſtophanis itaque Scholiaſte, quem viri doctiſſimi non ſine cauſſa magni ob eruditionem faciunt: is in Plutum Comici ad Blepſidemi χλευασμὸν illum.

ὦ τύμπανα, καὶ κύφωνες, οὐκ ἀρήξετε;

ita commentatur: τύμπανα, ξύλα, ἐφ᾽ οἷς ἐτυμπάνιζον. ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ, ἢ βάκλα, παρὰ τὸ τύπτειν ἤγουν ξύλα οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. vbi vide, an fortè rectiùs legamus, ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον. Certè ſic exſcripſit Suidas, loquiturque pari modo Heſychius, quorum verba inferiùs paullo afferam. ἐν οἷς pleonaſmo præpoſitionis qualem & alibi notant, vt apud Lucian. ἐν βέλει πληγείς. Sic idem dialog. Proteſ. & Plur. καθικόμενοι ἐν τῇ ῥάβδῳ. Sic Apocal. 6. ἀποκτεῖναι τὸ τέταρτον τῆς γῆς, ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ, καὶ ἐν θανάτῳ. Sed in re manifeſta vtimur teſtibus non neceſſariis. Ille igitur Scholiorum veterum in Ariſtophanem auctor, Tympanum, non Equuleum, vt Magius peruersè hîc interpretatur, ait fuiſſe lignum, quo verberabantur ſontes. Eumque ſi ſecutus Gualtherus, non bene culpatur; non magis quàm Sigonius de Rep. Athenienſ. lib 3. c. 1. extremo ita ſcribens: *τύμπανον, vnde ἀποτυμπανίσαι fluxit, ligna erant, quibus nocentes homines cædebantur, vt Pluti interpres prodit.* Bene, inquam, hic amicus Magij ex Ariſtophaneo commentatore vetere τύμπανα explicauit. Gualtherum tamen ſua ex eodem Scholiaſte ſumpſiſſe non arbitror: ſed ex Etymologico magno, vbi αὐτολεξεὶ iſta Græcè habes, quæ mox adducam. Sed quibus nunc redarguere Scholiaſtem priſcum nititur Magius, breuiter conſiderari debent, ſintne alicuius momenti.

Et mihi ſanè videtur Latinus iudex Græcum hominem malè damnaſſe, re ſcilicet non probè examinata. Quærit enim primò, quid ligno aut fuſti cum equo paruo & verſatili tympano ſit? Nihil prorſus. Nec Ariſtophanis interpres de equuleo hîc vel cogitauit, nec verſatile tympanum enarrare voluit, opuſve habuit, ſed tortorum tympana vel carnificum, quibus ſontibus certatim inſonabant plagas atque verbera. Niſi fortè, ait, ideo dictum tympanum putauit interpres, quòd in tympani morem tunderentur hoc ligno ſontes. At nihil opus his ambagibus hîc quidem. Ideo dictum tympanum credidit interpres, quòd eo ferirentur damnati. παρὰ τὸ τύπτειν, ait ipſe ſcilicet. Non reſpexit, inquam, ad tympanum quod pulſatur. Superuacua ergo eſt & coniectura illa de textu lacunoſo & deprauato, quaſi ita loquutus fuiſſet Scholiorum ſcriptor: τύμπανα, ξύλα, ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον. Non ille ignorauit nec tympanum verſatile ſiue pulſatile, nec tympana quibus cædebant nocentes; ſed de his, quæ ad fuſtitudinas, cum Comico ludens inquam, inſulas ſpectant, non de illis ſermonem facere voluit, & σημειῶσαι τι, quod Ariſtophanis locus deſiderabat. Liberiùs fortè hæc in Magium ne cui videantur, vereor. Sed vir optimus ſuo quemque vti arbitrio præclarè hîc iubet ipſe, ingenuéque vult, vt par eſt, iudicia libera eſſe. Et de eo certè aliàs ita cenſeo, virum fuiſſe doctrina erudita & lectione varia eximiè inſtructum, memoriâ præterea valuiſſe expromptâ, qualíſque paucis obtigit. Vltima verò ratio, qua ait, ſi à tympano ſumpta ſimilitudine fuſtem illum ſic dictum cenſuerit Scholiaſtes, non fuſti id nominis congruere, ſed ſontibus, quid ſibi vult? Quid enim non congruat? tamen etſi namque ſontes dicantur τυμπανίζεσθαι, id cum reſpectu ad fuſtem illum certè dicitur, quo pœna eis infligitur. Sed ille ad ſontes reſpiciendum putauit, quaſi hi in morem tympani tunderentur, itaque nomen fuſti non conuenire. Atque ita eſt. Magius noſter omnino exiſtimauit τύμπανον eſſe Equuleum, & hunc à Scholiaſte deſcribi, & deſcriptionem tamen illam haud congruere Equuleo facilè vidit: inde ergo affirmauit erraſſe & Scholiaſtem, & quotquot (in quibus video & Rhodiginum lib. 10. antiq. lect. cap. 5. eſſe) eum ſequantur. Iam itaque loca quædam ex veteribus lexicographis ſunt proferenda de iſto τυμπάνῳ, vnde id fuſtem vel bacillum rotundum fuiſſe, quemadmodum dixi, ampliùs pateat: ἀποτυμπανίζεσθαι verò, ſicut & ſimplex τυμπανίζεσθαι, illo ſupplicio affici. Heſychius gloſſatorum eximius: τυμπανίζεται, πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται. & : τύμπανον, ᾧ αἱ Βάκχαι κρούουσιν. καὶ εἶδος τιμωρίας. apud quem & in paullo præcedentibus, τύμπανα, τὰ δερμάτινα ϖερκτήρια κοπτικά, &c. obiter ſcribendum admoneo κρακτήρια, id eſſet *ſonantia*, vel *ſonora*. Iterum Heſychius: τύμπανον, (niſi τύπανον hîc legendum, quum præcedant τυπάζειν, τύπαις) ξύλον ἐν ᾧ τυμπανίζουσιν. Suidas: τύμπανα, βάκλα. παρὰ τὸ τύπτειν, ξύλα ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον. ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ. quæ verbatim ex Ariſtophanis Scholiaſte, vt & alia, quod viros doctos dudum obſeruaſſe credo, multa exſcripſiſſe videtur. Idem Suidas: τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται, καὶ κρεμᾶται. Etymologicon magnum: τυμπανόν ἐστι τὸ τοῦ δημίου ξύλον, ᾧ τοὺς παραδιδομένους διαχειρίζεται. καὶ τυμπανίζεται,

ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται, καὶ κρέμαται. Et alibi idem: ἀποτυμπανίσαι, οὐχ ἁπλῶς τὸ ἀποκτεῖναι, ἀλλὰ τυμπάνῳ. ἀπὸ τυμπάνου, ὅ ἐστι ξύλον ὅπερ σκυτάλην καλοῦσι. τὸ γὰρ παλαιὸν, ξύλοις ἀνῄρουν τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ τῷ ξίφει. Non tamen nego, & de machina qua diſtendebantur vel ſuſpendebantur ſontes, τύμπανον & verba ab eo deriuata vſurpata inueniri: vbi poteſt reſpectum eſſe ad illa diſtenta tympana: & innuunt ἐκδέρεται, κρέμαται, in Lexicographorum modò allatis obſeruationibus: ſupérque ea re quædam in theſauro H. Stephani habes: quo pacto & ferè locum in ea ad Hebræos exponunt, quem cap. ſeq. Magius adfert. Sic fortè & apud Lucianum Tyranno: τοὺς ἐκ δικαστηρίων δὴ τὰ παράγαγε, λέγω δὴ τοὺς ἐκ τυμπάνου, καὶ τοὺς ἀνεσκολοπισμένους. Adeò vt in hoc quidem Magium noſtrum Equuleum poſſe Græca voce τυμπάνου exprimi, temerè non reprehenderim. H. Iunius ἀρθρέμβολον reddere voluit, cuius verba è Nomenclatore eruditiſſ. quum ad hanc materiam ſpectent, & ipſa inſerere lubet: Equuleus, *aut, vt alij*, eculeus *Cicer. ſtipes acutus, cui reus impoſitus excruciatur, diſtenditur, & euiſceratur quodammodo, & artuum compages diſſoluitur.* ἀρθρέμβολον, *de quo Ioſephus ita:* ἀρθρεμβόλοις ὀργάνοις ἐξήτασαν, καὶ τὰ ἄρθρα διαμοχλεύσαντες ἐξεμέλιζον. *vocatur &* στρεβλωτήριον *ab eodem: alij interpretantur tormenti genus, quo religatis ſuperne manibus, appenſum de pedibus pondus hominem diſtendit, quale* τύμπανον *fere Græcis.* Turnebus l. 15. aduerſ. c. 16. ξύλον βασανιστήριον putat adpellari à Sozomeno lib. 5. cap. 12 illis verbis: καὶ δημοσίᾳ περιστραφεὶς πρὸς τὸ βασανιστήριον ξύλον, αἰωρεῖσθαι προσέταξεν. quæ & opinio Sigonij lib. 3. de Iudic. c. 17. Sed, vt ad priora reuertar, alter vſus tamen vbi ξύλον illud ſeu fuſtis ſignificatur, veteribus ſcriptoribus Atticis notior fuiſſe videtur, & neſcio an aliter vſurpare, quàm de nece, quæ per eiuſmodi fuſtium inflictus inferebatur, ſiue clauis ligneis, voluerint. Sic certè Demoſthenes capiendus videtur in ea de Cherſoneſo: ὡς οὖν ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ὄντας τοῦ ἀγῶνος, οὕτω προσήκει γιγνώσκειν, καὶ τοὺς παραβαίνοντας αὐτοῖς ἐκείνῳ, μισεῖν τε καὶ ἀποτυμπανίσαι. quod Vvolfius vertit, *in cruciatum abripiendi ſunt.* Vbi Vlpianus ſcholiaſtes (ſicut in auctario ex Lutetiano codice producunt) τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήττεται, ἐκδέρεται, κρέμαται. ἀποτυμπανίσαι δὲ, ἀντὶ τοῦ ἀνηλεῶς φονεῦσαι, ῥοπάλοις. quæ priora apud Suidam iiſdem verbis exſtant. poſteriora quoque ita ferè Suidas, quamuis ea videtur mendum inſidere: ἀποτυμπανίσαι, ἀκλεῶς ἢ φονεῦσαι. putóque emendandum, vt in Demoſthenicis Scholiis legitur, ἀνηλεῶς. ſiue αἰνηλεῶς malis, vt in quodam Scholiolo iſtius verbi Theodoreti Therapeutice adſcriptum habuit. Ea vero quæ ex Cherſoneſitana protuli, totidem verbis & in 4. Philippica oratoris eiuſdem leguntur: Sic & in tertia Philippica: ὁρᾶτε δὲ τοῦθ' ὁ δῆμος ὁ τῶν Ὠρειτῶν ἀντὶ τοῦ τοῖς μὲν βοηθεῖν, τοὺς δ' ἀποτυμπανίσαι, τοῖς μὲν οὐκ ὠργίζετο, τὸν δ' ἐπιτήδειον εἶναι ταῦτα παθεῖν ἔφη, καὶ ἐπέχαιρε. quamuis ibi pariter Vvolfius, *in cruciatum egit.* Sic & in ea περὶ παραπρεσβείας· εἰ μὴ συνῄκουν τι, οἶμαι, τοὺς τότε ταῦτα πρὸς αὐτὸν εἰπόντας, παραχρῆμα, ὡς δεῦρ' ἐπανῆλθον ἀποτετυμπανισμένους. &c. vbi tamen idem interpres, *in crucem actos.* De cuius, viri certè doctiſſimi, interpretatione hîc non inquiro. Deeſt & ocium ad eam rem, & ingenium, credo, multo magis. Eruditioribus iſta diſputanda relinquo. Me tamen eiuſmodi loci facilè permouetunt,

vt potiùs cum Ariſtophaneo Scholiaſte & Sigonio ſentire & explicare apud antiquos τυμπανι malim, de fuſtium pœna, quàm cum Magio de equuleo, vel cum Vvolſio de cruce: etſi *cruciatum* quum plerumque reddat, vt generalius loquutus, ita fortè commodiùs excuſari queat. Sic enim & apud Plutarchum in Dionis vita, vbi Dionis cum armatis acceſſum ad Syracuſas narrat: οἱ δὲ πολλοὶ τοῖς τυράννου φίλοις ἐπεπήδων, καὶ συνήρπαζον τοὺς καλουμένους προσαγωγίδας, ἀνθρώπους ἀνοσίους, καὶ θεοῖς ἐχθρούς, οἳ περιενόστουν ἐν τῇ πόλει καταμεμιγμένοι τοῖς Συρακουσίοις, πολυπραγμονοῦντες καὶ διαγγέλλοντες τῷ τυράννῳ τάς τε διανοίας καὶ τὰς φωνὰς ἑκάστων. οὗτοι μὲν οὖν πρῶτοι δίκην ἐδίδοσαν, ὑπὸ τῶν προστυγχανόντων τυμπανιζόμενοι· vertunt, *ab obuiis male mulctati*. Sed doctiſſimus Xylander, *verberibus cæſi*: ſequutus, vt in Notis indicat, quoque interpretem Ariſtophanis in Pluto: indicátque Guarinum vertiſſe, *Virgis enim cæſos excoriarunt*: ſequutum (vt opinatur) Suidam, cui τυμπανίζεσθαι ſcilicet non modò ξύλῳ πλήσσεσθαι, ſed ἐκδέρεσθαι etiam, & κρεμᾶσθαι ſit. quod ſi libeat ſequi, ait Xylander, *in crucem actos* vertendum eſſe. Idem Plutarchus Galba: τῷ δὲ δήμῳ χαριζόμενος, οὐκ ἐκώλυε τὸν παραπίπτοντα τῶν Νέρωνος ἀποτυμπανίζειν. vbi *obtruncandi* verbo reddunt. Ariſtoteles (cuius loci, vt & præcedentis Plutarchi index nobis Xylander Notis ad Dionem eius) lib. II. Rhetoric. c. 6. Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν, τί ἐγκαλύπτεσθε; ἔφη· ἢ μὴ αὔριον τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων; P. Victorius interpretatur, *quum ad ſupplicium duceretur*, in Comm. ſuis ad illum locum. Plura iam non conquiro. Ceterùm in tanta interpretum varietate, quæ in his verbis Latinè reddendis adparet, certi quid præſcribere cuiquam ſi me poſſe exiſtimem, valde ſim temerarius & audax. Raptim hæc tamen in Notas conieci, καὶ μάλα μαλακῶς ἔχων. Lector candidus boni conſulet, & ſicubi aberrauerim, quod vt humanum, minimè à me alienum puto, vtinam non familiare eſſet mihi nimis, ignoſcet, melioráque & rectiora ſi qua nouit, nobiſcum impertiet, id quod & rogatum eum volo amicè.

AD CAP. IX.

Pag. 279. ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν] Sic ſecurè operas edere iuſſi, vt & cap. ſeq erat enim in deſcripto exemplo ἐτυμπανίζετο, vtrobique. Locus eſt in ea ad Hebræos c. 11. v. 35. ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. quod Magius noſter *extenti*, vel *diſtenti*, vt c. ſeq. interpretatur. Et *diſtenti* ſanè cum veteri hîc viri docti maluerunt, idque & H. Stephanus in ſua noui teſtamenti editione Græca minori, qua obſcuriorum vocum & quorumdam loquendi generum accuratas interpretationes margini adſcripſit, ad oram poſuit. Alii tamen & *fuſtuario multati ſunt*, *fuſtibus cæſi ſunt* vt H. Stephanus in ſuo theſauro adnotauit. Caſtalio, *cruciati*, ſi rectè legi. Lubet hîc adſcribere ſaltem duorum eximiorum commentatorum verba Eraſmus Roterodamus annotationibus in illum locum epiſt. ad Hebr. ita ſcribit: *Diſtenti ſunt*) ἐτυμπανίσθησαν, *quod à corio ſumptum eſt, in tym-*

Digitized by Google

pano diſtento. Quamquam Græcanica ſcholia interpretantur de his qui fuſtibus contuſi perierunt. Cæditur enim crebris ictibus tympanum Ioach. Camerarius verò auus meus maternus, cuius memoriam ſanctè colo, ad illum locum hæc adnotat: ἐτυμπανίσθησαν) *Supplicio affecti ſunt, vltimo per cruciatus vt de vno omnia intelligantur. nam τυμπανίζεσθαι pulſationis & iactationis erat ſupplicium. neque oblatam liberationem admiſerunt, id eſt, in confeſſionis conſtantia neglexerunt ſalutem, & pertulerunt acerbiſſimo cruciatus. hic mihi ſenſus ſimpliciſſimus videtur.* Et mirum ni illud ſcholion, quod in Heſychio reperio, ἐτυμπανίσθησαν, ἐκρεμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν, ad locum illum epiſtolæ ſacræ pertineat.

Ioann. Chryſoſt.] Chryſoſtomi verba in eum locum ab amicis accepi hæc: ἐνταῦθά μοι δοκεῖ καὶ τὸν Ἰωάννην αἰνίττεσθαι, καὶ τὸν Ἰάκωβον. ἀποτυμπανισμὸς γὰρ λέγεται ἀποκεφαλισμός. Theophylacti verba mihi non in promptu, quum is auctor ad manus non ſit. Sed quid iſta Chryſoſtomi cum iis quæ Magius ex illo hîc dicere voluit, ſimile habent? quid enim eruci cum ἀποκεφαλισμῷ? Ille ergo longè aliam expoſitionem apud ſanctum virum legiſſe videtur. Nil enim certè de decollatione ait: ſed de crucis tormento, in quo illi diſtenderentur, locum epiſtolæ à ſancto patre expoſitum refert, nec probat. An itaque hîc memoriâ lapſus? Quod ipſi certè vitio vertendum non eſſet, adeò omnibus memoriæ ſubſidiis deſtituto. Nihil tamen adfirmo: permitto id decidere aliis. Hoc fortè ἐν παρόδῳ conſiderandum fuerit, quod de ἀποτυμπανισμῷ ait vir ſanctus, eſſe capitis abciſionem, id quod alibi rarò legas. Nec ſcio etiam interpretem, qui D. Chryſoſtomi explicationem in eo loco ſequutus fuerit. Geminum tamen huius legitur in Fauorini lexico: ἀποτυμπανισθῆναι, τουτέστι τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. Sed χρῆσιν nullam dat, cur ei credere ſtatim debeamus: virique doctiſſimi in theſauro ſuo adfirmant, ſe neſcire ex quo auctore iſta Varinus protulerit. Verùm Chryſoſtomi eruditio atque dicendi vis dubitare nos non ſinit amplius, quin & talis eius verbi vſus fuerit, quem etiam alibi occurrere obſeruo. Ita enim in Athenæo ſuo eruditorum phœnix, Iſ. Caſaubonus, ὁ πάνυ, exponit, locúmque commodè oblatum in amici mihi viri (quod glorior certè, addideróque ideo præfiſcini) iſtis *doctis Iuppiter & laborioſis* Animaduerſionibus adſcribo, ſi vllum alium, hic lubens, ſi modò centonibus noſtris purpuram intexere fas eſt. Verba Athenæi lib. 4. Dipnoſoph. ſunt: Εὐφορίων δ' ὁ Χαλκιδεὺς ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γράφει· παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸ ἆθλον. καὶ πολλάκις ἀπογραφομένους πλείους δικαιολογεῖσθαι καθ' ὃ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος αὐτῶν ἀποτυμπανισθῆναι. vbi Dalechampius, *vnoquoque diſceptante æquiſſimum eſſe, ſic ſe cruciari & ad ſupplicium trahi.* Sed audiamus Caſaubonum noſtrum potiùs, l. 4. animadu. c. 14. ita ſcribentem: καθ' ὃ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος αὐτῶν ἀποτυμπανισθῆναι *quibus contendunt vnuſquiſque quod iuſtiſſimum ſit, ſibi potiſſimum caput amputari.* & addit: *Torquent ſe hoc loco interpretes in exprimenda voce* ἀποτυμπανισθῆναι· *quæ hîc quidem perſpicue ponitur pro eo quod paullo ante dixit,* τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. *Euſtathius doctè, poſtquam iſta ex Athenæo*

verba

verba Euphorionis deſcripſit, καὶ ὅρα, *inquit,* τὸ ἀποτυμπανισθῆναι, ἔσω τὸν ἐν τῷ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. Hactenus eximius ille. Vide verò ſis, an & apud Theodoretum in Ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτικῇ, vbi hoc verbum aliquoties occurrit, ita exponi debeat; quamuis interpres Zenobius Acciaiolus voluit *tympanis diſtendere*, vel *extendere* ſiue *fidiculis* ſemper vertere. Loci ſunt. Sermon. 3. καὶ μάστιξι καὶ τοὺς ἀνδροφόνους διασκολοπίζοντες καὶ ἀποτυμπανίζοντες. de Græcis loquitur. Serm. 8. qui eſt de Martyribus, vbi de alacritate eorum in perferenda morte: προσηλοῦσθαι δὲ τὰ κέντρα τοῖς ἰδίοις μαστιγοῦν, καὶ λαμπάσι καὶ ὄνυξι τὰς πλευράς, καὶ τοὺς αὐχένας ὑποθεῖναι τοῖς ξίφεσι, καὶ ἀποτυμπανισθῆναι προθύμως καὶ διασκινδαλευθῆναι. Et hîc verbo ἀποτυμπανισθῆναι additum ad oram Scholion (cuius ſuprà memini) in cod. vet. Auguſtano adnotauit Sylburgius hoc, ἀνηλεῶς φονευθῆναι. Idem Serm. 9. καὶ τοὺς μὲν αὐτῶν ἀπετυμπάνισαν, τοὺς δὲ ἀπεσκολόπισαν, τοὺς δὲ θηρίοις παρέδοσαν. Sed ad finem tandem pergendum eſt, ne operis ſim in mora.

In quo ille diſtenderetur] Scribendum puto, *in quo illi diſtenderentur.*

AD CAPVT XI.

Pag. 281. *Apud Ciceronem*] Non inuenio apud Ciceronem de equulei inuentione peculiare quidquam, nec puto alius. Certè videntur viri docti, qui hanc materiam tractandam ſuſceperunt, non fuiſſe omiſſuri ſi quid tale apud Ciceronem legiſſent. Fortè vt Græci tympana ſua excogitarunt, quibus nocentes puniebant, ita Romanos equulei tormenti autores apud ſe extitiſſe vero non ſit abſimile, vt cuique populo ſui quidam puniendi modi ſunt. Coniectator ſum, vt vides: nec à me certi quid exſpectes, vbi tacent alij, vbique ipſe tecum ad doctiores ire paratus ſum.

AD CAPVT XII.

Pag. 282. *Loco prænotato*] cap. 3. vbi Senecæ verba ex epiſt. 76. adſcripſi.

re manifeſtum] Locus mutilus. Credo fortè ſcripſiſſe: *Quare manifeſtum*, &c.

Diuaricatis cruribus] Verba Prudentij in hymno 5. periſteph. quem dicauit D. Vincentio martyri Cæſarauguſtano, ſunt:

In hoc barathrum (carcerem ſubterraneum) *coniicit*
Truculentus hoſtis martyrem,
Lignoque plantas inſerit
Diuaricatis cruribus,

& paullo pòſt:

Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Dupléxque morſus ſtipitis
Ruptis cauernis diſſilit.

Pp

Fidiculas appellat] Periſteph hymn. 10. qui D. Romano martyri Antiocheno inſcriptus. Hunc enim locum puto Magium dicere, vbi Romanus:

Nec diſtat, ignis an fidiculæ ſæuiant,
An corpus ægrum languor aſper torqueat:
Cùm ſæpe morbos maior armet ſæuitia
Non vngularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulſat pleureſis.

inferiuſque iubet ſceleratus Aſclepiades carnificem, vt

Sulcoſque acutos & fidiculas transferat.

vbi tamen pro vngulis vſurpaſſe poëtam *fidiculas* conatur oſtendere Gallonius.

Val. Max. de. . . . .] Locus Valerij de Zenone l. 3. c. 3. ita habet: *Rupit verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit*, &c. quæ non exſcribo: quum in Gallonij diſputatione ſuperiùs ea exſtent: vbi & Quintiliani, vel quiſquis potiùs ille declamator eſt, locus, quem tamen non ſolùm in mente habuit Magius. Libet itaque adſcribere & illum & alios quoſdam. Ille eſt in declam. vlt. *An tu quæſtionem illam fuiſſe credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leuiter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra laxaret. Conſumptus eſt ſpiritus ſilentio ſuo, & verbera ignéſque animum pariter vocémque cluſerunt*, &c. adeò vt neſciam quid illa *in corio filij* apud Magium ſibi velint. Hoc igitur quod ſcimus, Magium dicere ibi & crebram mentionem eſſe laminarum & flagellorum. Ita enim eadem declam. non longè à fine: *Conſiſte agedum mulier loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admoue equuleos, flagella, laminas, prædico, teſtor, aliter non poſſum loqui, aliter mihi non poteſt credi.* Et præcedenti declamatione de eodem, pro muliere contra maritum: *At tu, proh nefas, verberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte ſcrutaris rem, de qua non deberes interrogare ſeruos, de qua vernilium quoque corporum patientiam petulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moues*, &c. Iterum: *Pater in tormentis filij non auerſos tenuit oculos, ipſe veſtes ſcidit, velamenta lacerauit, manibus flagella concuſſit, renouauit ignes*, &c. Et: *Filium conſumpſiſti per flagella, per laminas.* Sic & declam. 7. vbi pauper quidam ſe offert torquendum: *Vultis cùm hoc viderim tantum teſtimonium dicam? Mirum hercle, ſi ſcindo veſtes, nudo corpus, ignes, flagella depoſco.* quæ vbi mox iterum iunxit: *Non refert*, ait, *cuius ad equuleum nominis perſuaſionem, quas ſilentij afferas cauſſas.* & plura in ea declamatione, vnde ſaltem extremis excerptis, ociùs hinc abeo: *Cum flammis vrentur nuda vitalia, nox illa occurrat, cùm membra fidicula flagella laxauerint*, &c. *Si me forte fidiculæ flagella mutauerint, ego tamen vidi. Si vocem in equuleis, ignibuſque perdidero, ego tamen vidi.* quæ non minùs pro Magij noſtri ſententia faciunt, præſertim quum & velit fidiculas cum equuleo eaſdem eſſe: quæ tamen docti viri, vt dixi, malunt diſtinguere.

Digitized by Google

Legere potes & Senecæ l. 2. controu. 5. vbi torta à tyranno mulier pro marito introducitur, paritérque cum equuleo ignes, verbera, flagella. & lib. 9. controu. vlt. *Inſtabam ſuper caput, non accuſator, ſed tortor: ipſe ignes ſubiiciebam; ipſe ad intendendum equuleum manus admonebam.* l. 10. controu. 5. *Statuitur ex altera parte Parrhaſius cum coloribus, ex altera tortor cum ignibus, flagellis, equuleis.* Et paſſim.

In Caligula Imp.] Fallitur memoriâ optimus Magius in priore loco, qui non in Caligula, ſed Tiberio Suetonij legitur cap. 62. *Excogitauerat autem inter genera cruciatus, etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul vrinæque tormento diſtenderet.* In Gallonianis ad hunc locum reſpondere conantur, ſcilicet aliud tormenti genus eſſe apud Suetonium, remotiſſimum ab eo quod in martyrum geſtis & aliorum auctorum locis legatur. An verè lector eruditus iudicabit. Certè vngulas non deſignari, hoc clarum. Et cur Suetonius in alia χρήσει illud nomen ſumat, quàm Valer. Maximus, quàm Quintilianus, cuius tamen minimè illas declamationes eſſe viri docti autumant? Iſidori verò auctoritas ſola an nos debeat adigere vt fidiculas fuiſſe vngulas ferreas credamus, neſcio. Quódque me in opinione confirmat magis, eruditiſſ. Iureto idem videri inueni in iis quæ Adpendicis loco adiecta ſunt. Nec ad cetera fortè difficilis ſit reſponſio: quæ hîc excutere tamen non vacat. Ceterùm non ideo & equuleum tamen confundi prorſus cum fidiculis, vt Magius vult, neceſſe eſt. Suetonij loca hercle non cogunt, potiùs contrariæ ſententiæ faueant. Eorum verò, ne morer, alter eſt in Caligula cap. 33. *Quin & ſubinde iactabat, exquiſiturum ſe vel fidiculis de Cæſonia ſua, cur eam tantopere diligeret.* Addam & illud Martialis ad Rufum l. 5. Epigram. 53.

Exprimere, Rufe, fidicula licet cogant,
Aue Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

Pag. 283. ff. . . . & C. . . .] Loci quos memoria Magio noſtro in illa fortuna non ſuppeditauit, nec mihi in promptu, in Iuriſconſultorum libris parum verſato. Nec dubito tamen vnum eſſe, quem & Gallonius laudat, in C. de Quæſt l. 16. *decuriones.* vbi Impp. Valent. Valens, & Grat. ita ad Antonium præf. præt. Gallianorum: *Decuriones ſiue ob alienum ſiue ob ſuum debitum, exortes omnino earum volumus eſſe pœnarum, quas fidiculæ & tormenta conſtituunt. Quod quidem capitale iudici erit, ſi in contumeliam ordinis, exitiumque tentetur. Maieſtatis tantummodo reos, & (quæ nefanda dicto ſunt) conſcios, aut molientes ex ordine municipali, maneat tam cruenta conditio.* Cui ex Codice & alterum addo l. 4. *nullus* T. ad L. Iuliam maieſtatis, vbi Impp. Valent. Valens & Gratian. Olybrio P. V. *Nullus omnino, cui inconſultis ac neſcientibus nobis fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defenſione vti prohibeatur,* &c.

Apud Hippocratem in lib. . . . & apud. . .] Hîc verò ad medicos eundum. Et oſtendit mihi vir cl. & doctiſſ. H. Schilerus, Illuſtr. Comitis Hanouiæ medicus eximius huius ſcamni effigiem in Chirurgia Vniuerſali Io. Andr. à Cruce Veneti, librumque perhumaniter conceſſit.

Digitized by Google

Fidiculas appellat] Periſteph hymn. 10. qui D. Romano martyri Antiocheno inſcriptus. Hunc enim locum puto Magium dicere, vbi Romanus:

> *Nec diſtat, ignis an fidiculæ ſæuiant,*
> *An corpus ægrum languor aſper torqueat:*
> *Cùm ſæpe morbos maior armet ſæuitia*
> *Non vngularum tanta vis latus fodit,*
> *Mucrone quanto dira pulſat pleureſis.*

inferiuſque iubet ſceleratus Aſclepiades carnificem, vt

> *Sulcoſque acutos & fidiculas transferat.*

vbi tamen pro vngulis vſurpaſſe poëtam *fidiculas* conatur oſtendere Gallonius.

Val. Max. de. . . . .] Locus Valerij de Zenone l.3.c.3. ita habet: *Rupit verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit,* &c. quæ non exſcribo: quum in Gallonij diſputatione ſuperiùs ea exſtent: vbi & Quintiliani, vel quiſquis potiùs ille declamator eſt, locus, quem tamen non ſolùm in mente habuit Magius. Liber itaque adſcribere & illum & alios quoſdam. Ille eſt in declam. vlt. *An tu quæſtionem illam fuiſſe credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra laxaret. Conſumptus eſt ſpiritus ſilentio ſui, & verbera ignéſque animum pariter vocémque cluſerunt,* &c. adeò vt neſciam quid illa *in corio filij* apud Magium ſibi velint. Hoc igitur quod ſcimus, Magium dicere ibi & crebram mentionem eſſe laminarum & flagellorum. Ita enim eadem declam. non longè à fine: *Conſiſte agedum mulier loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admone equuleos, flagella, laminas, prædico, teſtor, aliter non poſſum loqui, aliter mihi non poteſt credi.* Et præcedenti declamatione de eodem, pro muliere contra maritum: *At tu, proh nefas, verberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte ſcrutaris rem, de qua non deberes interrogare ſeruos, de qua vernilium quoque corporum patientiam petulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moues,* &c. Iterum: *Pater in tormentis filij non auerſos tenuit oculos, ipſe veſtes ſcidit, velamenta lacerauit, manibus flagella concuſſit, renouauit ignes,* &c. Et: *Filium conſumpſiſti per flagella, per laminas.* Sic & declam. 7. vbi pauper quidam ſe offert torquendum: *Vultis cùm hoc viderim tantum teſtimonium dicam? Mirum hercle, ſi ſcindo veſtes, nudo corpus, ignes, flagella depoſco.* quæ vbi mox iterum iunxit: *Non refert,* ait, *cuius ad equuleum nominis perſuaſionem, quas ſilentij afferas cauſſas.* & plura in ea declamatione, vnde ſaltem extremis excerptis, ociùs hinc abeo: *Cum flammis vrentur nuda vitalia, nox illa occurrat, cùm membra fidiculæ flagella laxauerint,* &c. *Si me forte fidiculæ flagella mutauerint, ego tamen vidi. Si vocem in equuleis, ignibuſque perdidero, ego tamen vidi.* quæ non minùs pro Magij noſtri ſententia faciunt, præſertim quum & velit fidiculas cum equuleo eaſdem eſſe: quæ tamen docti viri, vt dixi, malunt diſtinguere.

Legere potes & Senecæ l. 2. controu. 5. vbi torta à tyranno mulier pro marito introducitur, paritérque cum equuleo ignes, verbera, flagella. & lib. 9. controu. vlt. *Inſtabam ſuper caput, non accuſator, ſed tortor: ipſe ignes ſubiiciebam; ipſe ad intendendum equuleum manus admonebam.* l. 10. controu. 5. *Statuitur ex altera parte Parrhaſius cum coloribus, ex altera tortor cum ignibus, flagellis, equuleis.* Et paſſim.

In Caligula Imp.] Fallitur memoriâ optimus Magius in priore loco, qui non in Caligula, ſed Tiberio Suetonij legitur cap. 62. *Excogitauerat autem inter genera cruciatus, etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul vrinaque tormento diſtenderet.* In Gallonianis ad hunc locum reſpondere conantur, ſcilicet aliud tormenti genus eſſe apud Suetonium, remotiſſimum ab eo quod in martyrum geſtis & aliorum auctorum locis legatur. An verè lector eruditus iudicabit. Certè vngulas non deſignari, hoc clarum. Et cur Suetonius in alia χρήσει illud nomen ſumat, quàm Valer. Maximus, quàm Quintilianus, cuius tamen minimè illas declamationes eſſe viri docti autumant? Iſidori verò auctoritas ſola an nos debeat adigere vt fidiculas fuiſſe vngulas ferreas credamus, neſcio. Quódque me in opinione confirmat magis, eruditiſſ. Iureto idem videri inueni in iis quæ Adpendicis loco adiecta ſunt. Nec ad cetera fortè difficilis ſit reſponſio: quæ hîc excutere tamen non vacat. Ceterùm non ideo & equuleum tamen confundi prorſus cum fidiculis, vt Magius vult, neceſſe eſt. Suetonii loca hercle non cogunt, potiùs contrariæ ſententiæ faueant. Eorum verò, ne moter, alter eſt in Caligula cap. 33. *Quin & ſubinde iactabat, exquiſiturum ſe vel fidiculis de Cæſonia ſua, cur eam tantopere diligeret.* Addam & illud Martialis ad Rufum 5. Epigram. 53.

Exprimere, Rufe, fidicula licèt cogant,
Aue Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

Pag. 283. ff. . . . *&* C. . . .] Loci quos memoria Magio noſtro in illa fortuna non ſuppeditauit, nec mihi in promptu, in Iuriſconſultorum libris parum verſato. Nec dubito tamen vnum eſſe, quem & Gallonius laudat, in C. de Quæſt l. 16. *decuriones* vbi Impp Valent. Valens, & Grat. ita ad Antonium præf præt. Gallianorum: *Decuriones ſiue ob alienum ſiue ob ſuum debitum, exortes omnino earum volumus eſſe pœnarum, quas fidicula & tormenta conſtituunt. Quod quidem capitale iudici erit, ſi in contumeliam ordinis, exitiumque tentetur. Maieſtatis tantummodo reos, & (quæ nefanda dictu ſunt) conſcios, aut molientes ex ordine municipali, maneat tam cruenta conditio.* Cui ex Codice & alterum addo l. 4. *nullus* T. ad L. Iuliam maieſtatis, vbi Impp. Valent. Valens & Gratian. Olybrio P. V. *Nullus omnino, cui inconſultis ac neſcientibus nobis fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defenſione vti prohibeatur,* &c.

Apud Hippocratem in lib. . . . & apud. . .] Hîc verò ad medicos eundum. Et oſtendit mihi vir cl. & doctiſſ. H. Schilerus, Illuſtr. Comitis Hanouiæ medicus eximius huius ſcamni effigiem in Chirurgia Vniuerſali Io. Andr. à Cruce Veneti, librumque perhumaniter conceſſit.

Digitized by Google

Neſcio tamen an ad Magij noſtri mentem: qui videtur alio modo, ni fallor, delineaſſe, vel delineaturus fuiſſe, ſi vixiſſet, & vltimam manum libello ſuo imponere potuiſſet. Adducit verò Hippocratis locos ille ab Italia auctor Chirurgiæ ad oram ſui libri, nempe *lib. 4: de articul. & lib. 2. de fracturis.* quorum vnum vel ambos & Magius hîc fortè indicare volebat, ſi memoria ſuggeſſiſſet. Sed quis ille alter, quem laudauit Magius, proque cuius nomine διὰ τῶ αἰνηχάσου τὸ δυσυνάγωγον ſcilicet aſteriſcus notatus eſt? Et ſuſpicor Oribaſium fuiſſe, quem quoque ex Rufo de hac machina auctorem dant in lib. de machinamentis. Ceterùm *ſcamni* vocem, vt & ſuprà ad caput 1. attigi, ſi quis cum Magio ab Hippocrate eſſe putabit, valde ſua opinione falletur, ne quid grauiùs dicam. ξύλον apud Hippocratem de hac machina eſt ſæpius. *Scamni* verò vox de eadem apud Latinum (vt aiunt) Hippocratem, Corn. Celſum, habetur lib. 8. cap. 20. cuius auctoritate credo ſe & recentiores medici, qui non aliter appellarunt, facilè tueri poſſunt. Sed age loca ipſa Hippocratis inquiramus. Περὶ ἀγμῶν. itaque ille omnis medicinæ parens, vt à Celſo vocatur, vbi de oſſibus tibiæ agit, ſi exciderint, quo modo ἐκ κατατάσιος fiat ἐμβολὴ deſcribit. Locus eſt prolixior, nec vacat omnia adſcribere: indicaſſe ſufficiet. Adhibet ibi & ὀνίσκοις, ἐφ' ὧν κατάτασιν quoque fieri poſſe docet. Sic & περὶ ἄρθρων, vbi περὶ ῥαχίδος diſſerit eiuſque luxatione, & quo pacto reponi debeat: χρὴ δὲ τὴν, ait, κατασκευὴν τῶ διαναγκασμοῦ τοιήνδε κατασκευάσαι. ἔξεστι μὲν ξύλον ἰσχυρὸν καὶ πλατὺ, ἐντομὴν παρμήκεα ἔχον καταρύξαι, &c. Vnde doctiſſ. commentator Foeſius διαναγκασμὸν ad eum locum obſeruat vocare Hippocratem organon illud, quo vi adhibita reſtitutio cogatur: mihi tamen, ſi non valde fallor, de ipſo modo iſtius violentæ reſtitutionis, & quæ per vim fit repoſitionis, potiùs illud vocabulum accipiendum videtur. Sed ego fortè vltra crepidam audacem ſutorem imitor. Ait idem Foeſius ibidem βάθρον ἢ ξύλον à Paulo Ægineta vocari illud inſtrumentum: eiuſq; etiam meminiſſe Oribaſium lib. de Machinamentis c. 35. Idem Hippocrates eodem περὶ ἄρθρων libro, vbi de femore prolapſo reſtituendo agit, quem locum inſerere placet, & poſt eum Celſi verba, vt tandem finis ſit: εἴρηται δὲ καὶ πρόσθεν (in iis περὶ ἀγμῶν) ὅτι ἐπάξιον ὅστις ἐν πόλει πολυανθρώπῳ ἰητρεύει, ξύλον κεκτῆσθαι τετράγωνον ὡς ἑξάπηχυ, ἢ ὀλίγῳ μεῖζον. εὖρος δὲ, ὡς δίπηχυ. πάχος δὲ, ἀρκέει σπιθαμιαῖον. ἔπειτα κατὰ μῆκος μὲν, ἔνθεν καὶ ἔνθεν τομὴν ἔχειν χρὴ, ὡς μὴ ὑψηλοτέρη τοῦ καιροῦ ἡ μηχάνησις εἴη. ἔπειτα φλιὰς βραχείας, ἰσχυρὰς, ἐγγομφωμένας, ὀνίσκους ἔχειν ἑκατέρωθεν. ἔπειτα ἀρκέει μὲν ἐν τῷ ἡμίσει τοῦ ξύλου, οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ διὰ παντὸς ἐντετμῆσθαι ὡς κατώμας μακρὰς πέντε ἢ ἕξ, διαλειπούσας ἀπ' ἀλλήλων τέσσαρας δακτύλους. αὐτὰς δὲ ἀρκέει εὖρος τριδακτύλους εἶναι, καὶ βάθος οὕτως. ἔχειν δὲ κατὰ μέσον τὸ ξύλον καὶ καταγλυφὴν χρὴ βαθυτέρην ἐπὶ τετράγωνον ὡς τεσσάρων δακτύλων. καὶ ἐς μὲν τὴν καταγλυφὴν ταύτην, ὅταν δοκέῃ προσδεῖν ξύλον ἐμπηγνύναι ἐναρμόζον τῇ καταγλυφῇ. τὸ δὲ ἄνω στρογγύλον. ἐμπηγνύναι δὲ ἔστιν ὅτε δοκέῃ ξυμφέρειν, μεσηγὺ τοῦ περινέου καὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ μηροῦ. τοῦτο τὸ ξύλον ἑστὸς κωλύει τὴν ἐπίδοσιν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, τοῖσι πρὸς ποδῶν ἕλκουσιν. ἐνίοτε γὰρ ἀρκέει αὐτὸ τὸ ξύλον τοῦτο, ἀντὶ τῆς ἄνωθεν ἀντικατατάσιος. ἐνίοτε δὲ κατατεινομένου τοῦ σκέλεος ἔνθεν καὶ ἔνθεν, αὐτὸ τὸ ξύλον τοῦτο χαλαρὸν ἐγκείμενον ἢ τῇ, ἢ τῇ, ὀχμοχλεύειν ἐπι-

τήδειον ἂν εἴη τὴν κεφαλὴν τοῦ μηροῦ ἐς τὸ ἔξω μέρος, διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αἱ κάπετοι ἐντετμέαται, ὡς κατὰ ἐκείνην ἂν αὐτέων ἁρμόσῃ ἐμβαλλόμενος ξύλινος μοχλὸς μοχλεύοι, ἢ παρὰ τὰς κεφαλὰς τῶν ἄρθρων, ἢ κατὰ τὰς κεφαλάς. πλέως ἐρειδόμενος ἅμα τῇ κατατάσει, ἤν τε ἐς τὸ ἔξω μέρος συμφέρει, ἐκμοχλεύεσθαι, ἤν τε εἰς τὸ εἴσω. καὶ ἤν τε στρογγύλον τὸν μοχλὸν ξυμφέρει εἶναι, ἤν τε πλάτος ἔχοντα. ἄλλος γὰρ ἄλλῳ τῶν ἄρθρων ἁρμόζει. &c. Foëſij in Comm. inter alia hæc habentur: *Hoc organum, quod Hippocrates* ξύλον *vocat, deſcribitur optime Rufo apud Oribaſium libro de Machinamentis, cap. 29.* Scamnum *vocat Celſus, vt & recentiores* βάθρον. *Paulus* μέγα ξύλον (*vt & hîc Hippocrates*, qui mox ait: εἰ γὰρ τὸ ξύλον τοῦτο τὸ μέγα, &c.) ἢ βάθρον, *vt & Galenus in Comment. Huius quoque meminit in Mochlico Hippocrates.* Celſi verba, in quibus *ſcamnum* vocatur, itaque fortè cupies. Ea ſunt lib. 8. cap. 20. *Etiamnum valentiùs intenditur membrum ſuper ſcamnum, cui ab vtraque parte axes ſunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui vt in torcularibus conuerſi, rumpere quoque ſi quis perſeuerauerit, non ſolum extendere neruos & muſculos poſſunt. Collocandus autem homo ſuper id ſcamnum eſt, aut pronus, aut ſupinus, aut in latus: ſic vt ſemper ea pars ſuperior ſit, in quam os prolapſum eſt: ea etiam inferior, à qua receſſit.* &c. Agit autem eo capite de femore luxatò, & Hippocratis meminit. Sed lubet ociùs hinc ex alieno choro pedem tandem.

Pœnam ſeruilem appellat Prudentius] Locum Prudentij videtur reſpexiſſe illum in hymno Romani. Iuſſerat Aſclepiades iudex ille impius Romani

Euiſcerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis vngulíſque creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt,
Illum vetuſtâ nobilem proſapiâ,
Meritíſque multis eſſe primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundatur, inquit, pectus crebris ictibus,
Plumboque ceruix verberata extuberet,
Perſona quæque competenter plectitur,
Magníque refert vilis, an ſit nobilis,
Gradu reorum forma tormentis datur.

Apud Iuſtinian. C. . . . .] Vt Tit. C. de Quæſtionibus l. 2. *diuo*. vbi Impp. Diocletianus & Maximianus Boetho ita reſcribunt: *Diuo Marco placuit, eminentiſſimorum necnon etiam perfectiſſimorum virorum vſque ad pronepotes liberos, plebeiorum pœnis vel quæſtionibus non ſubiici*, &c. In Digeſtis verò vt l. vlt. *de decurione* T. de Decurionibus, vbi Paulus libro 1. Quæſtionum: *De decurione damnato non debere quæſtionem haberi, Diuus Pius reſcripſit. vnde etiam ſi deſierit decurio eſſe, deinde damnetur, non eſſe torquendum, in memoriam prioris dignitatis placet*

Per flagella, per verbera] *Filium conſumpſiſti per flagella, per laminas*, eſt in penult. declam. quæ Quintiliano attribuitur vulgò, vt ſuprà excerpſi.

Digitized by Google

Extinxit laminas, laxauit equuleos].Et hoc iam indicaui, apud Valerium eſſe, *fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit*.

Accendis laminas, &c.] Ex eadem penult. declam. illius Pſeudo-Quintiliani ſuprà iam attuli: *Laminas accendis, equuleos moues.*

Vnde Iuſtinian] Vide ſuprà ad caput 6.

Suſpenſi in equuleo] Adi Gallonium. Habes ibi, quæ Magius noſter hoc vltimo capite mutilo ſtrictim attingit, latiùs expoſita & diſputata prolixiùs. Vnde non opus fuit, vt ego, ſi vel ingenium tempuſque adfuiſſent, actum agerem: qui loca tantùm quædam in iſto libello poſthumo adnotare volui, nec ex profeſſo interpretandum ſuſcepi. Tu ſymbolam, quam contuli properans, hoc quidem tempore & ſtatu meo non bono in bonam partem bonus accipies, & erratis meis benignus ignoſces, quod te rogo, precórque vt valeas.

TRIVM
IVSTI LIPSII
LIBRORVM
DE CRVCE
COMPENDIVM.

Digitized by Google

DE

Digitized by Google

DE CRVCE.

LIBER I.

Materies & ordo operis huius iſte. Quid Crux, & Cuiuſmodi fuerit: Vbi, Quare, Quomodo, & Quatenus vſurpata. De his omnibus accurate & diſtinctè dicetur.

De nomine Crucis.

CRVX ſignificatione duplici, *laxâ* & *adſtrictâ*. Illa eſt, cùm pro omni angore, tormento, atque etiam interitu ſumitur: vt à Comicis paſſim, qui iubent *Abire in malam crucem*, vt Gracchus qui dixit, *Malâ cruce perire*. Sed & Terentius à cruciando, Meretrices dixit *Cruces*. Adſtricta ſignificatio eſt, & vulgò receptiſſima, cùm peculiariter cruciatum & interitum notamus in ligno. Dixerunt & alio nomine *Gabalum*, voce Hebræa: nam illis *Gab*, excelſum; *Gabal*, terminus, aut rectus ſtipes in agris. Quid niſi tale crux, quæ erecta, & in excelſo? Et Germani patibulum, *Galgen* vocant. Dixerunt aliter, *Infelicem arborem, lignum, ſtipitem*. Dixit & *Infamem ſtipitem* Poëta incertus. Natæ appellationes à iudicio & ſenſu vulgi, quibus hoc ſupplicium in horrore pariter & vilitate. Et quamuis Crux propriè in ligno, tamen ſi-

Duplex crucis ſignificatio.

Nomina crucis.

Digitized by Google

militudine etiam ita dicta ſuſpenſio aut fixio in alia paratura, puta in monte aut petra.

Supplicij huius nomina.

Nomina verò ſupplicij, quod per eam, ſunt iſta. *Cruci ſuffigere*, *In cruce ſuffigere*, *Cruci affigere*, *Cruci figere*, crebra ſunt; Illud minus, *Figere*, ἁπλῶς & ſine additione; quod alij *Configere*. Suo etiam & proprio verbo appellarunt, *Cruciare*, *Crucifigere*. A *Crucio*, ſiue *Cruce* ipsâ *Cruciarius* dictus, is qui in cruce, vel qui eâ dignus. Quomodo & *Verberonem*, *Flagrionem*, *Maſtigiam* dicimus, verbere, flagro, maſtige dignum. Qua mente & *Vinum crucium* inſuauè, acerbum, Feſtus obſeruat.

Græca Crucis nomina.

Græcis duo ferè Crucis nomina, σταυρὸς & Σκόλοψ. Illud frequentius: quod tamen propriè nonniſi ſtipitem ſignat ſingularem & erectum. Latinè dixeris *Palum*, ſiue *Vallum*. Vox facta παρὰ τὴν εἰς ἀέρα στάσιν, ἢ παρὰ τὸ εἰς εὖρος ἵστασθαι hoc eſt, *quòd ad aërem ſtent, vel quòd in latum*. Lucianus deriuat à *Tau* litera, quæ figura crucem refert. Iam Σκόλοψ propriè vallum, ſudémque ſignificat acutam. Appellant etiam ἴκριον, crucem.

Crucifigendi nomina.

Duo autem ſunt verba, quibus ipſam crucifixionem ſignabant, Ἀνασταυροῦν & ἀνασκολοπίζειν. Ita enim plerumque compoſitè, ad elationem fixionémque in alto notandam; etſi aliàs etiam ſimpliciter Σταυροῦν & Σκολοπίζειν. Sunt & alia duo verba, quibus vulgò valde vſi, Προσηλοῦν & κρεμᾶν, ſiue ἀνακρεμᾶν. quorum illud clauarionem ipſam in ligno propriè notat, hoc ſuſpenſionem. Tale apud Latinos ipſum *Suſpendere*, quod ad crucem referendum.

Diuiſio Crucium.

Crux duplex. Simplex quæ.

REM ipſam ordiamur; cui illuſtrandæ duplex genus ſtatuo, *Simplex*, & *Compactum*. Illud voco, cùm in vno ſimplicíque ligno fit affixio, aut infixio. quæ crux, meo iudicio, prima fuit, & in aliam ſpeciem à rudi hac ventum. Sed ea quoque duplex: altera ad *Affixionem*, altera ad *Infixionem*.

Ea duplex. Affixio.

Nam aliàs ad arborem ſiue ſtipitem alligabant, figebántque hominem. Nec ambigimus, arbores plerumque huic rei ſeruiſſe, præſertim in grandi numero cruciandorum, ſiue reciſas leuiter, & ad crucem aptatas, ſiue etiam comantes. Sed & in ſtipite ſimplici idem fuit. Atque hæc fuit in ſimplici Cruce affixio.

Digitized by Google

Eſt & in eadem *Infixio*, cùm nudum hominem erecto acutóque ſtipiti infigebant, ea forma & facie, quam docent Scriptores. Seneca: *Cogita carcerem & cruces, & adactum per medium hominem, qui per os emergat ſtipitem.* Viden' clarè medium hominem ſciſſum & transfoſſum. Vulgò dicitur *Impalatio.* Et hoc propriè eſt Σκόλοψ: & σκολοπίζειν. vbi legitur, plerumque referendum ad hanc formam. In hac cruce, quam *acutam* vocat Seneca, habitus erat hominis ab infero in ſuperum ſic transfixi quaſi ſederet. Hoc ipſum genus ἀνασκινδυλεύεσθαι dictum Græcis, quaſi diffindere & diſſecare. Item ἀνασκολοπισθῆναι. Infixio.

At *Compacta* crux eſt, quæ manu facta, idque è duplici ligno. Hæc eſt plena & vera crux, in qua brachia etiam explicantur, atque ideo *Patibulum* non ſemel dicta. Huius ſpecies triplex: Eſt *Decuſſata*, eſt *Commiſſa*, eſt *Immiſſa*. Compacta Crux. Ea triplex.

Decuſſata eſt, in qua duo ligna directa & æquabilia inter ſe obliquantur. *Decuſſare* hoc enim Romani dixerunt. Hieronymus: *Decuſſare, eſt per medium ſecare; veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem litteræ* X. *quæ figura eſt crucis.* Hæc illa eſt, quam *Andreanam* hodie dicimus, valida & ſatis veteri fama, diuum iſtum in ea cruciatum. Decuſſata.

Iam *Commiſſam* crucem appello, cùm ligno erecto breuius alterum ſupernè, & in ipſo capite committitur, ſic vt nihil exſtet. Ea forma examuſſim eſt in T. litera, quam vno ore omnes cum cruce componunt. Aſtruunt etiam picturæ, & noſtra lingua. In illis quidem, paſſim hodie videas D. Antonij vetuſtiſſimi monachi penulæ & manui aſſui aut imponi hanc crucem. An quia Ægyptius ille vir, quibus iam olim notum, & inter ſacra hoc ſignum? Certè in obeliſcis, qui inde Romam vecti, ſculptum ſic videtur, cum annulo tamen vel anſula ſupernè. Certè in penula aut veſte monachorum crux, imò cruces. Quòd autem manu tulerint, hodiéque in Æthiopibus ſiue Abyſſinis ille mos, vti vulgus reliquum cruces è collo pendulas geſtet, monachi hoc ampliùs etiam manu, auctor eſt Damianus à Goës. Ægyptiis autem litera T. olim inter notas hieroglyphicas, & ſignificabat *Vitam venturam.* Atqui & à lingua noſtra argumentum petij: nos enim Germani hodie bacillos in hanc formam, quos ægrotorum brachiis ſuſtentaculum ſubiicimus, vocamus ipſa Latina voce *Crucken.* Commiſſa. Crux S. Antonij.

Digitized by Google

Immiſſa. Denique *Immiſſa* crux eſt, cùm ligno erecto tranſuerſum alterum iniungitur atque immittitur, ſed ſic, vt ipſum ſecet. Ita eminentia hîc ſemper aliqua & capitellum, aliter quàm in Commiſſa. Etiam anguli hîc ſiue fines quaterni, illic terni. Ingerunt eam oculis picturæ pariter & ſcripturæ priſcæ.

Crux Chriſti quæ. Habes omnium crucium ſpecies. In qua earum ille mortuus, qui morte ſuâ nobis vita? In illa poſtrema, quæ quatuor finibus vniuerſum Orbem complexa eſt, non ſine myſterio, quòd toti Orbi mortuus Saluator noſter pependit. Nec ambigi profectò poteſt, in tam veteri Chriſtianorum ſenſu.

Crux Vbi vſitata.

Crux quibus in vſu. CRVCES ſatis vidimus: *Vbi* gentium eæ in vſu fuerint, addemus; etſi vno verbo pene dixerim, vbique gentium receptas. Oriens quidem plerumque vſurpauit, idque iam olim. De Syris, in Eſthere ſcriptum. De Iudæis, in ſacris libris ſæpius. Ægyptios etiam vſos reperio: & Perſas crebrò: ſed Afros vel omnium creberrimè, qui non in viles modò, ſed illuſtriſſimas perſonas adhibebant. Atque à Senatu Carthaginenſium etiam in Duces, bella prauo conſilio gerentes. Video & Græcos vſitaſſe. Iam Romanis vetus veterrimúmque ſupplicium patibulorum. Si Liuio fides, ſtatim ſub primis Regibus vſurparunt; & exemplum in Horatio, cui id ſub Tullo parabatur. Etſi Cicero diſſentire videtur, & horridum illud carmen ad Tarquinium Superbum auctorem referre. Vtrum horum eſt, video etiam liberâ Republicâ ſtatim in vſu cruces. An Germani vſi, dubium.

Cauſæ variæ huius ſupplicij.

Crux ſupplicium ſeruile. PLVRIFARIAM igitur receptæ cruces, ſed vix tamen, niſi in homines viliores, Romano quidem ritu. Atque apud eos ſeruorum ferè hoc ſupplicium, aut plebeiorum, qui iuxta ſeruos. Et adeò peculiare hoc ſeruis, vt nomine *Seruilis ſupplicij*, crux veniat capienda.

Crucis cauſæ. Seruile igitur hoc ſupplicium, ſed non ob leuem aut quotidianam noxam; ſed graues erant, & in extremo ſupplicio

Digitized by Google

extrema cauſa: vt Delatura domini, & in genere omnis machina contra dominicam ſalutem. Item Fuga, ſed diuturna, aut repetita. Hæc & plura in ſeruis, quos mitiores durioréſve domini grauiùs, mitiùs, pro arbitrio ſunt puniti.

Delatio. Fuga.

Quid autem in liberis? Rara crux, vt prædixi. Quin remouere prorſus ab hoc genere Lactantius videtur. Sed frænanda ea aſſertio eſt, & ciue quidem indigna crux, nec credo vſurpatam in eos, niſi præter leges, & per ſæuitiam: viliores liberi & prouinciales, non ab ea profectò immunes. Atque hæc crimina in iis cruciaria. Primùm, Latrocinium. Deinde, Sicariatus. Tertiò, crimen Falſi. Anne & Furtum? ita, ſed non Romæ. Et mirum, ni è Gallis Germaníſque iſti Reges, quorum moribus etiam nunc fures ad furcam. Alia etiam crimina in hanc pœnam ne ambigas.

Qui liberi cruciati. Latrones. Sicarij. Falſarij. Fures alibi.

Cùm hæc vidimus, piè non curioſè quæro, in Seruatore noſtro quis prætextus (nam cauſa numquam fuit) ad crucem? Blaſphemiam aliquis dixerit, ex vocibus aut iudiciis Iudæorum. Atque ipſi ſanè ita apud Pontificem accuſant, & huic noxæ teſtes quæruntur, & ipſe denique Pontifex eius damnat. Attamen ſi legem ſpectes, hi tales lapidibus, non cruce puniti. An non veriùs ac ſimpliciùs, totum illud iudicium, etſi iudicij diſſimile, Romanis moribus legibúſque directum? Mihi videatur; & reſpondeam, damnatum innoxium noſtrum Agnum quaſi Seditionis nomine & Regni affectati. Certè Romana lege, auctores ſeditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis obiiciuntur. Quòd autem ſic etiam apud Pilatum accuſatus, Lucas clarè. Credidit, nec credidit Pilatus; & titulum tamen causámque mortis inſcripſit, *Rex Iudæorum*.

Prætextus cur Chriſtus cruci fixus.

In hos ergo tales ex ordine & more crux vſurpata. Interdum regnum ei largius, & præſertim apud Reges: nam hi ex libidine ſæpe ita ſæuierunt in hoſtes aut rebelles, & vno tempore multos. Alexander Magnus 2000. Tyriorum, capta eorum vrbe, crucifixit. Alius minutus Alexander in Iudæa, conuiuans in publico & conſpicuo loco, vnà cum pellicibus, iuſſit in crucem dari Iudæorum ad 800. Quinctilius Varus, ex eadem gente, ob neſcio quem motum, crucifixit circiter 2000. At Titus in obſidione illa exitiali 500. & plures, in ſingulos dies crucibus affixit: & ob multitudinem

Sæpe multi ſimul cruci affixi.

Digitized by Google

terra crucibus, & cruces corporibus deerant. Iam & Auguſtus confecto bello Siculo, 600. ſeruorum, quorum domini non exſtabant, in crucem egit. Et in Chriſtianos Tyranni crebro adhibuerunt, atque eos numeroſos: ſic vno tempore, vno loco ad 10000. interfecta. Atqui nec à fœmineo ſexu abſtinuerunt hoc ſupplicium: & Tiberius, ob adulteratam in templo Iſidis Paulinam, Sacerdotes crucifixit, & Idam (ancillæ nomen) quæ corruptelæ cauſa fuerat. E Chriſtianis etiam beata Eulalia cruci affixa, ſancta Iulia, & aliæ.

LIBER II.

De modo crucifigendi.

DIxi ſatis *Quid* Crux, & *Cuiuſmodi* fuerit, *Vbi* & *Quare* vſurpata; pergo longiùs, & vniuerſum hoc pœnale ædificium exſtruo, per ſingula etiam membra. Dicam enim *Quomodo* vſurpata; & non ſolùm animis, ſed penè oculis ſubiiciam ſæuitiam & fœditatem eius ſupplicij, quæ ſanè magna; nec temerè Cicero crudeliſſimum teterrimúmque appellauit: & Poëta Nonnus ἐλεγχιςόν τινα πότμον *damnatiſsimum quoddam fatum.* Quin etiam Iuriſconſulti nomine *Summi ſupplicij*, velut ob eminentiam, deſignant iſtud. Ab eadem mente *Supremum* Vlpianus dixit. Dicta hæc ipſa *Extrema pœna.* Nam ex Iuriſconſultorum mente, Crux etiam ſupra ignem, ſi infamiam, magnitudinem, & præſertim diuturnitatem pœnarum in ea attendis.

Magnitudo huius ſupplicij.

Sed ſæui fœdique quid in hoc ſupplicio fuerit, *Modus* ipſe dixerit, quem graphicè imus repræſentatum. Duplex autem iſte modus, *Vulgaris*, & *Rarus.* Ille receptiſſimus, & quo vulgò vtebantur. Alter magis ſepoſitus, nec in tam aſſiduo vſu. De illo priùs, & quidem ordine hæc tria: *Quæ ante fixionem, Quæ in ipſa, Quæ poſt ipſam.*

Duplex crucifixio.

Quæ ante fixionem.

Flagellati ante crucem.

ANTE fixionem duo adhibita: *Flagellatio* & *Deductio.* Flagellatio quidem ſolennis anteceſſor, & rarò in crucem

dati, niſi ſic purpurati. Solennis ergo mos, imò lex; & horrendum carmen diſertè canebat: *Verbera intra aut extra pomærium*, & tum denique ſuccinebat: *Arbori infelici ſuſpendito.*

Verberati igitur, ſed vtrum virgis an flagellis? Illas interdum reperio, ſed magis crebrò iſta. Diſcrimen enim eſſe ſcimus, & quia virgæ honeſtiores, inhoneſtiſſimo huic ſupplicio attributa flagra, ſeruorum propria, ab ingenuis, tum à fœminis remota maximè. Flagella autem hæc aſpera, adeò vt Vlpianus ſcripſerit, miniſtrorum immanitate multos ſub eiuſmodi flagellis interiiſſe. Fuerunt enim taxillata; ſiquidem inſitis talis, aut oſſiculis exaſperabant. Factum Romæ, & alibi, Apuleius agnoſcit, & *Flagrum pecuinis oſſibus catenatum*, ſcitè appellat. Ille idem Gallis Matriſdeum adſcribit. An tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus etiam noſter cæſus? imaginantur aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego aſſero; ſed illud Euangeliſtæ, cæſum eſſe, & quidem flagro. Hoc ἱμάσθλην Nonnus appellat, *flagellum loreum.*

Diſcrimen inter virgas & flagella.

Flagella taxillata.

Flagellatio hæc non vno ſemper loco, aut tempore. Aut enim ante Deductionem vtebantur, ídque domi, aut in prætorio: quod in Seruatore factum. Aut in ipſa Deductione per viam: quod moris fuit magis priſci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Id de Seruatore noſtro non ambiguum, piis quidem & in religione antiquis: etſi enim Euangelia non exprimunt, ſecuti tamen Patres. Quid per viam? ſub furcam id factum, de qua ſuo loco dicetur.

Flagellatio quando adhibita.

Ad *Deductionem* venio, in qua duo obſeruo: *Ludibrium* & *Tormentum*. *Ludibrium*, quòd ipſi coacti crucem ſuam ferre, aut certè eius partem; vt verè eſſet illud, quod dicitur; *Suo ſibi iumento malum.* Atque ita Iohannes de Chriſto: *Baiulans ſuam crucem, exiuit in locum Caluariæ dictum.* Qua ſola cauſa vetera quædam vaticinia aut imagines, doctores noſtri ad Chriſtum trahunt. Et Chriſtus ſanè totam plenámque crucem tulit: ni feciſſet, quid opus erat auxiliatore & ſubſequâ, qui alleuaſſet? Alij non ſemper totam: atque ideo cautè prædixi, *eius partem*. Nam qui ritu veteri ſub furca cæſi ducebantur, ferebant nonniſi iſtam. Imò interdum nec iſtam: nam fac in arbore aliqua crucifixum, & ſubitò, profectò præter ſe nihil tulit.

Crucem ipſi ferebant.

Digitized by Google

Tracti per viam.

Tormentum etiam in deductione: quia trahere, diuexare, & ſtimulis agere per viam ſolebant. Nec dubium eſt, quin impulerint, deiecerint, erexerint, per ſæuitiam aut per luſum. De ſtimulis etiam non temerè addo; & apertè auctor affirmandi Plautus.

Quæ in ipſa fixione.

In ipſa fixione tria conſideranda: *Suſpenſio, Adſtrictio, Inſcriptio.*

Nudatio ante ſuſpenſionem.

Svspensio præit, & ante illam etiam nudatio, quia ſimul ad crucem ventum, ſpoliabant hominem, & ſic in eam dabant. Receptum hoc in plerisque ſuppliciis, velut Naturæ ſuaſu, quæ nudos induxit in vitam, & educit; etiam in iſto. In Chriſto factum hoc obſerues, quem Euangeliſtæ narrant recepiſſe veſtes poſt flagellationem iam deducendum, & poſuiſſe iterum deductum. Ergo nudi dati in crucem; ſed iacentem, an erectam? Pro iacente Acta vetera de Pionio martyre ſatis clarè ſtant. Et ratio etiam aliqua ſuadet. Nónne enim faciliùs hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum, quàm tollere in erectam pendulum, labentem, fortaſſe & reluctantem? videtur. Tamen quòd in erectam, pluſculi affirmant teſtes. Nec video quid obduci poſſit, niſi iſtud infirmum, ſtatutas quidem, ſed ſub aduentum noxij iterum demiſſas. Quis credat? aut irriti laboris quæ ratio? Abnuunt etiam phraſes veteres, quas ſcimus plerumque aſſimiles rebus ipſis. Dicunt enim *Tollere, Agere, Ferre, Dare in crucem.* quæ omnia elationis ſunt aut molitionis. Item in ipſis fontibus, *Excurrere, Aſcendere, Salire in crucem,* quæ mihi videntur conuenire nonniſi in erectam. In hoc diſſenſu quid definimus? conſenſum quà licet. Dicimus vtrumque vſurpatum, ſæpius tamen hoc poſtremum. imò interim neceſſariò hoc poſtremum. Pone enim in arbore ſuſpenſos, (ſæpe factum) quomodo demitti ea potuit, & tunc attolli? Quid ſi de tranſuerſario tantùm ligno capias, in eo figi ſoliros, & deinde ſubduci, atque appendi? Pugna omnis ceſſet.

Quomodo in crucem dati.

Adſtrictio fiebat clauis, & funibus.

Adstrictio facta clauis, aut funibus, ſed plurimùm illis. Atque ab hac re Græcis paſſim ipſa crucifixio προσήλωσις dicta, quaſi dicas *Claui-fixio.* Et προσηλοῦσθαι *cruci affigi clauis.* Funes

Funes etiam adhibiti: & quorumdam iudicio videntur neceſſarij fuiſſe in fixione: nam volunt manus ligatas, ne ſe ſubducerent ad ictum, aut commouerent, tum etiam vt firmiùs & cum adminiculo penderent. Deinde & alterum funem ad pectus corpus ambiiſſe ſub ipſas alas, eóque ſubleuatum hominem & attractum in ſummam crucem. Id porrò factum admotis vtrimque ſcalis. Et ſanè de ſcalis, apponere eas pene neceſſarium videtur, vtique ad erectam crucem. Quomodo aliàs ſubduxeris, aut fixeris? Funibus autem alligari, magis ſæuum habitum. An ſic quoque appenſi latrones bini, qui cum Chriſto? vulgò ſentiunt, nec aliter pingunt. tamen falsò: quia illi pariter ac Chriſtus fixi. Nonnus affirmat, & magis Hiſtoria priſca, quæ eſt de Helena Conſtantini matre. Ea cùm veniſſet ſacra & Deo-homini trita loca cupidine viſendi & venerandi, de Cruce etiam quæſiuit noſtrâ illâ ſeruatrice. Fodit, tres reperit, ac diu animi anceps hæſit, quæ eſſet illa vera: nam titulus, quo dignoſci potuiſſet, iacebat ſeorſim diſiectus. Denique miraculo & diuina indicatione opus fuit ad diſcernendum. Quid autem opus, ſi veſtigia clauorum modò in vna? Argumentum certum eſt, & res ipſa per Eccleſiæ Annales.

Clauos autem iſtos, ſiue & funes, in manibus pedibúſque fuiſſe ſatis notum. At quàm multi iſti claui? enimuero diſſident. Alij de ternis aſſerunt: at contrà tendunt alij, & ſuggerunt quaternos: vtrique de Chriſto id volunt. Quid, quòd Plautus ex more aſtruere videtur quatuor? Quàm magis conſidero, tam magis hoc dictum cenſeo: cùm id quoque reperiam, per ſæuitiam multiplicatos alibi clauos. Interdum & in alia corporis parte. Itaque ſi morem veterem vides, arbitrarium fuit de clauis, & fruſtra litigemus. Si de Chriſto tamen quæritur, neſcio, & in diſſenſu Patrum non eſt noſtrûm arbitrari: pronior tamen ſum in quaternos. In templis Græciæ hodie paſſim Chriſtus cruci affixus, diſparatis pedibus ſic pingitur. Modus figendi fuit, vt manus primùm figerent, inde pedes. Atque initium à manu dextra; tum itum ad pedes. Sed ambigas, manúſne fuerint toti moli ferendæ? Apparet enim corpus omne (præſertim ſi quis pedes inflecteret) pependiſſe à manibus ſolis. Ita arbitror. Quidni? Duræ & neruoſæ illæ partes, & lentæ frangi. Fortaſſe nec in media ſemper manus volâ claui fixi, ſed ſuperiùs paulò,

Quot clauis affixi.

Manus primùm fixæ.

Digitized by Google

quà cum brachio coit, id eſt, circa carpum. Sed puto equidem ampliùs, ſi corpus grauius, aut manus tenuior, adminiculum ſæpius fuiſſe funes. Illos quoque additos, & circa humeros aut pectus medium, ad crucem adſtrictos. Hoc malim, quàm cum aliis aſſerculum ſiue tabellam inducere, in qua innixi & fixi ſimul pedes; nimis accurata ea fabrica, imò delicata. Tamen in Chriſti Cruce Gregorius Turonicus agnoſcit: quiáne fuit, an quia piè imaginatus eſt? Tamen in picturis ſculpturíſque priſcis etiam tabellæ huius veſtigium exſtare audio, non ergo temerè ſpreuerim, non certè à Chriſti cruce: de aliis, audaciùs.

De tabella ſuppedanea.

Poſt adſtrictionem INSCRIPTIO. Quid ea eſt? Cauſa ſupplicij, & ipſum crimen, & Romana voce, *Titulus*, quâ & Ioannes eſt vſus. Matthæus αἰτίαν, bene & ſignanter dixit. Gloſſæ Græcanicæ veteres: Αἰτία, *cauſa, materia, titulus*. Eædem Latinæ, *Titulus*, ἐλέγχιον. Latini etiam paſſim pro cauſa. Atque hic Titulus præferri ſolebat damnatis, cùm circumducerentur: id quod etiam *Traduci* dicebant, cùm oſtentui dumtaxat per ora populi ducebantur, & ſæpe alibi puniendi. Sed & appendi aut apponi damnatis ſolebat titulus: & ſic Gladiatores quoque productos cum titulo, Quintilianus oſtendit. Sæpe etiam neglecto aut ſpreto titulo contenti Superdictione fuerunt, id eſt, vt præconis præeuntis voce populo id nunciaretur.

Titulus quid.

Damnatis antelatus.

Quæ poſt fixionem.

BENE iam & fideliter fiximus: quid poſt fixionem? Hæc tria, *Mors*, *Corruptio*, *Cuſtodia*.

MORS, lenta, moleſta, & vel à ſtillante paulatim ſanguine, vel à fame. Quid ſi etiam ab auium ferarúmque laniatu? videbimus, & ſingillatim deducemus. De ſanguine, quem demittebant fixi, clarum eſt, nec teſtimoniis eget: & tum ea de cauſa, tum ex acri verberatione, quæ præiuerat, credo inualidiores multos obiiſſe. Itaque legas quoſdam diu in crucibus vixiſſe, vt ingenitum ſcilicet robur erat aut vires. Beatus Andreas in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens biduò ſuperuixit. Victorinus ſub Nerua, iuſſus ſuſpendi capite deorſum, ita per triduum vixit. Timotheus & Maura in cruce nouem diebus viui pendentes, ac ſeipſos in

Mors in cruce qualis.

Digitized by Google

fide corroborantes, martyrium conſumpſerunt. Vnde hæc vis aut vitalitas, niſi à vitæ ipſo fonte? Quamquam & alij quidam animosè egiſſe in extremiſſimis iſtis rebus legantur: velut Bomilcar apud Iuſtinum, qui patibulo ſuffixus in foro medio, magno animo crudelitatem ciuium tulit; adeò vt de ſumma cruce, veluti de tribunali in Pœnorum ſcelera concionaretur. Quidam etiam petulanter: vt proteruuli apud Senecam, qui ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuerunt. Quidam etiam miſeratione Principis, aut Magiſtratuum è cruce ablati, pòſt vixiſſe leguntur.

At de laniatu etiam addidi, & cauſam illam quoque feci mortis. Haud temerè: quia ſic ligati, & cùm ſeſe non commouerent, dati reuera canibus laniena, atque auibus cunctis; atque id viui etiam. Quin reperio in ſententia iudiciali quoque id aliquando expreſſum. Itaque Apuleius proprium hunc refert patibuli cruciatum, cùm canes & vultures intima protrahunt viſcera. Hinc diſcas licèt, cruces non ſemper fuiſſe peraltas: quomodo enim, ſi canes attingerent, atque etiam lupi? Nam & hos Catullus addit. Iſtæ mortes; niſi quòd interdum lanceis etiam tranſuerberati legantur, an ad accelerandum fatum, an explorandum? Illud fuit in Marcelliano & Marco: iſtud in noſtro Domino, cui miles iam mortuo lancea latus aperuit, ſcilicet periculum, an bona fide obiiſſet. *A feris & auibus laniati.* *Lanceis tranſuerberati.*

Non autem & crura iis fracta, inquies, atque ita interempti? Vulgò inualuit hæc opinio, ſed vulgò. Qui penetrant & examinant, vident diſparata hæc ſupplicia & ſeorſim fuiſſe. Induxit vulgum, quòd in ſacra hiſtoria latronibus duobus crura fracta leguntur. Atqui ſciant pro moribus Iudæorum id fuiſſe, atque illic fortaſſe tantùm. Et cur hoc Iudæi; ne fraus legi fieret, quæ iuſſerat ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. At deponi niſi mortui non debebant, diutiùs autem plerique viuebant; ergo hac, aut alia via mors feſtinanda. Alia etiam dico via, nec crediderim fuiſſe hanc ſolam. *Crura an iis fracta.*

Ergo Crurifragium propriè nihil ad crucem; tamen quia ſeſe ingerit, & vile, atque item ſæuum eſt iuxta crucem, breuiter de eo dicam. Vox ipſa proba & vetus. Gloſſæ priſcæ: *Crurifragium*, σκελοκοπία. atque alibi *Crurifrangium* rectè ſcribunt. Ipſa res antiqua, & iam Plauti, & antè æuo, paſſim. *De crurifragio.*

Digitized by Google

Crurifragium minati ſeruis. Et credam, vt crucem ipſam, peculiare fuiſſe ſeruis; ſed ita, vt liberi non immunes, ſiue in crimine, ſiue potiùs per ſæuitiam vindicantis. Et in Martyres noſtros plurifariàm ſic ſæuitum. Modus huius ſupplicij, vt incus cum malleo, vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent, validis ictibus ſic frangendas. Sublatum hoc ſupplicium à Conſtantino Victor aſſeuerat. Aliud

Exſecare crura quid.

autem eſt à fragio crurum, *Exſecare crura.* hoc enim proinde eſt, ac neruos aut ſuffragines ſuccidere. Vetus ſæuitia, & Annibali vſurpata in Romanos. Vſurpatum etiam fuit Tyrannis in Chriſtianos.

Corrupti in crucibus.

Corrvptio iam poſt Mortem: quam ſic intelligo, quòd nec mortuos deponerent, ſed tabo illic paſſi ſunt diffluere, & à Sole ac pluuia corrumpi. Hanc in cruce putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus, cùm Tyranno minanti eam reſpondit: Sua nihil intereſſe, humi, an ſublimè putreſcat.

Cuſtodes ad crucem.

Itaque hoc fine aſſeruati in cruce, & deponi rarum omnino fuit. Ne quis autem deponeret, Miles & Cvstodia aſſedit. Poſſis ad hanc cuſtodiam illud Euangeliſtæ referre: *ἔχετε κουστωδίαν, ἀπάγετε. Habetis cuſtodiam, abite.* Quæ Pilati vox fuit ad Iudæos petentes aſſeruari monumentum. Videtur autem intelligere cuſtodiam, quæ paulò antè ad crucem: niſi quis malir, *Habete cuſtodiam*; quaſi ab imperante, & indignanter dante. Vox enim Græca in vtrumuis valet.

LIBER III.

De modo figendi raro.

Abvnde, quæ ad *Vulgarem* crucifigendi modum, diximus: *Rarus* ſupereſt, quem ipſum pari cura imus expunctum. Eum ſuprà deſcripſimus, (& vox præfert) ſepoſitum, & minùs in aſſiduo vſu. *Sepoſitum* Ævo, *Inuſitatum* vel Schemate, vel Fine. De his tribus ordine & partitè dicam.

Digitized by Google

Modus rarus ſepoſitus Æuo.

ÆVO ſepoſita *Furca* eſt; olim quidem in creberrimo vſu, ſed quæ paulatim deſiit atque aboleuit. Mentio crebra non in hiſtoriis ſolùm, ſed Comœdiis priſcis; mentio tamen magis, quàm explicatio. Furca duplex: *Vetus & noua.* Furca duplex.

De Furca veteri.

FVRCA *Vetus*, quæ priſcis Romanis (non enim apud alias gentes legi) vſitata: atque hæc rurſus duplex: *Ignominioſa* & *Pœnalis*. Illa eſt, qua collo impoſita ſerui circumduci ſolebant ob culpam aliquam, oſtentui & ad irriſum. Hinc *Furcifer* dicebatur olim, qui ob leue delictum cogebatur à dominis, ignominiæ magis quà ſupplicij cauſa, furcam circa vrbem ferre, prædicans peccatum ſuum, & monens cæteros ne quid ſimile peccarent. Atque hæc illa prima eſt, ab ipſa re & fine *Ignominioſa* dicta; quæ origo aut exemplar tamen *Pœnalis*. Furca vetus duplex. Ignominioſa. Furcifer.

Pœnalis ea eſt, qua item collo impoſita circumducti, ſed cum verberibus, & pœnæ cauſa. Atque adeò mors plerumque huic conſequa, ſiue ſub ipſa furca ad necem cæſis, ſiue cum ea in crucem latis. Nec ſerui ſolùm, ſed & interdum liberi ſub furca cæſi. Sed cùm in crucem cum furca lati, ligati ad furcam, & ſub ea cæſi, per viam ducebantur; fixi deinde ad eam, tollebantur in crucem. Ergo ſub furca ad ſupplicium acti: ſed numquid in ea appenſi? Ita; quia hæc Furca non aliud quàm Patibulum fuit. Alligari autem brachia manúſque ad hanc furcam ſolent, atque ita circumduci, mox in ea attolli. Hinc in Plauto legis: *Diſpeſſis manibus patibulum habere*. Item, *Ire patibulatum per vias*. Atque hinc illa phraſis, *Patibulo crucis affigi*. quia Patibulum ſcilicet hoc ſenſu pars crucis. Diſtinguit & Tacitus, *Patibula, ignes, cruces*. Et quòd patens hæc tranſuerſáque pars ſic dicta, Seneca indicat. Sicut inferior defixúſque ſtipes *Crux* propriè dictus. Pœnalis. Patibulum & Furca idem.

Quæ forma furcæ fuerit, obſcurè traditum à veterum ſcriptis. Ex his tamen tres elicio opiniones de Furca. *Prima*, Furcam potuiſſe eſſe facie, quâ noſtrum hodie Patibulum; Furcæ forma.

Digitized by Google

atque idipſum reliquias & exemplar eſſe à pœna priſca.

Π *Secunda*, lignum fuiſſe geminum, quod à tergo per humeros, & antè per pectus hominem medium includeret, atque ita rectum ad expanſas vtraſque manus iret. *Tertia*, Furcam veram eſſe furcam, quam hodiéque dicimus, & quam Varro indicat, quòd ſingula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant literæ V. Pro hac ſententia multa ſunt. Primùm, quòd furca δίκρανος. item δικρανοφόρος, *Furcifer*. Quid, quòd in curribus hodie, quà temo cum axe coit, furca eſt ſuſtentando illi aut fulciendo? Præterea cum deſcriptione Dionyſij conuenire videtur examuſſim. Da furcam iſtam paulatim diuaricantem, ab humeris per pectus, & inde manus veniat, eſt illud ipſum lignum, quod deſcripſit. Iam Plauti Carbonarium, quò niſi huc referas? Ecce qui lignarios faſces, aut carbonum ſaccellos hodiéque ferunt, furcam iungunt, cuius caput cum exſtantia aliqua bacillorum, à tergo eſt, longiores duo fines diuerſi per pectus deſcendunt, & manu vtraque (quaſi ad contranixum) ſuſtentantur. Atqui, inquies, manus hîc non in alto expanſæ. Fateor, non in alto, expanſæ tamen; & cùm funibus traherentur, ligatis ad extremas manus, etiam protendebantur tollebanturque.

Suſpenſio in his tribus furcis.

Suſpenſionis modus pro formis eſt diſtinguendus. Si prima placet, res facilis: in trunco abſciſſo, in paxillo infixo, imò in fiſſura supernè facta, potuit firmiter appendi. Si altera, tum ſic cenſeo, ductos quidem cum duplici ligno ad crucem, ſed non cum vtroque in eam actos. Quod ante pectus, diſpoſitum putem, manus fixas in altero, atque idipſum in trunco, paxillo, fiſſurâ firmatum, vt priùs. Nec abſurda aut vero nimis extranea ſententia eſt, cùm & *Patibulum* reperiam ſingularem eiuſmodi rectúmque ſtipitem dictum. Atque ego ampliùs arbitror: etiamſi olim Furca aliâ facie fuerit: tamen commodi causâ, & quia pronior faciliórque hæc appenſio, ſucceſſiſſe ſingulare hoc rectúmque lignum, & id tuliſſe in humeris, manibus inibi reuinctis, in eóque mox figendis. At ſi tertia ſententia ſederit, duplex potuit fuiſſe ſuſpenſio. Prior iſta, quòd hominem ſic reuinctum clauis in loco fixerint, tum furcâ ſublatum appenderint funibus iis ipſis, quibus traxiſſent, vel etiam aliis. Poſterior, quòd furcam ipſam, ſed inuerſam, in trunco, aut paxillo appenderint.

Digitized by Google

De Furca noua.

SEQVITVR Furca *noua*, quia æui inferioris inuentum. Ea eſt inſtrumentum è ligno triplici, formâ iugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus. Hodie quoque vſum & ſpeciem hanc habet in pleraque Europa: priſcis incognita. Pœna quidem laquei Homero expreſſa, qui facit impudicas ancillas ab Vlyſſe ſic puniri: atque idem *infamem* & *impuram mortem* vocat; Plinius *præpoſteram*, quia ſpiritus intercluditur, cui exitus quærebatur. Panegyriſta appellat *fœmineam*, Victor *poſtremam*; eſt enim ignaua & viliſſima mors. Iſtud mortis genus in Græcis vſurpatum vix inuenias; nec à Romanis quidem in publico; etſi ij in carcere damnaris gulam laqueo frangebant, ſed non vt appenderent. Credo cœpiſſe, cùm crux deſiit, & vicariam illi factam. Iſidori quidem æuo nomen hoc & vſum habuit. In libris legum, quas Tribonianus atque eius adiuuæ collegerunt, ſatis frequens hoc nomen, &, vt opinor ſignificatione nouitiâ, quia ſublato crucis ſupplicio, quidni etiam Furca vetus? Itaque ipſos Iuriſconſultos vſurpaſſe, non habet fidem apud iuris & moris antiqui peritos, qui verè notant, ſubſtitutum id pro cruce: cauſa aperta & liquida, quia Conſtantinus lege lata ſuſtulerat crucem. Ergo ipſi quoque, qui leges collectum ibant in æui illius & ſequentis vſum. Quo ipſo ſenſu inferiores Græci dixerunt φουλκίζειν, *in furcam agere*, aſperiore illa litera mutata. Credo autem hanc furcam primò nonniſi dimidiatum Patibulum fuiſſe, id eſt, facie adhuc aliqua furcæ; paulatim, & quò plures appendi poſſent, immutaſſe.

Furca noua qualis.

Furca noua pro cruce veteri.

Modus rarus & inuſitatus à Schemate.

ALTER modus, qui *Schemate* à Vulgari diuerſus eſt, cùm alio atque alio habitu hominem affigebant. Id quoque factitarum, vt ingenioſa eſt crudelitas in pœnas. Hæc ſchemara varia fuere. Eſt illud, quod *Inuerſum* dixeris, cùm hominem in caput ſuſpendunt, pedibus ſublatis. Martyribus in Ægypto id factum, Euſebius oſtendit. Quod ipſum in D. Petro, ſed eo rogante, ne aſſimilaretur magiſtro. Et Petrum quidem etiam clauis inibi fixum, Chryſoſtomus teſtatur.

Varij figendi modi.

Inuerſo capite.

Digitized by Google

Sicut & Calliopius Martyr. Tamen & funibus adſtricti, vt Philippus Apoſtolus.

Obliqua infixio. Reperio & obliquos ſuper crucem crucéſve poſitos. Legitur id in Plutarchi Artaxerxe. Et hæc *Obliqua infixio.* Video & inter duos palos diſpeſſis manibus pedibúſque alligatos: vt in Martyrologio de Anaſtaſia. Hæc *Decuſſata.* Video & inter arbores appenſos, & reductis iis, ſciſſos. De Corona Martyre. Quod ipſum Schema ad cruces refert Propertius.

Decuſſata.

Modus inuſitatus à Fine.

Fumo necati in cruce. TERTIVS figendi modus Rarior, qui *Fine* diuertit à vulgato, eſt, cùm cruces aliò ſpectant, & hominem capiunt moriturum in ipſis, non per ipſas. Tale, cùm appenſi flamma aut fumo necati. Olim factum ex Cicerone diſcas. Alexander etiam Imperator quempiam, qui fumum vendiderat, quaſi compari pœna affecit. Atque in noſtris Martyribus hoc genus crebrum: vt in Pionio, & Polycarpo antiſtite Smyrnæorum. Quin vno etiam tempore plures appenſi pedibus in ſublime, capite verſo deorſum, ſuffocati fumo, & lento igne conſumpti ſunt. Et Tertullianus ſignificat, adeò crebrum in maiores illos noſtros & in religione Proceres ſupplicium hoc fuiſſe, vt in illudium conuitiúmque venerit; & Chriſtiani vulgò *Semaxij*, à ſtipite, cui adſtringebantur; & *Sarmenticij*, à ſarmentis, quibus vrebantur, ſint dicti. Lapidibus etiam in cruce obrutum Philippum Apoſtolum, videtur vulgata opinio.

Beſtiis obiecti in cruce. Crux & iſta *Fine* alio, cum homines in ea fixos beſtiis obiiciebant. In publicis ſpectaculis id ſæpe factum. Sic Blandina Martyr in ligno ſuſpenſa, proſtituta eſt eſca & laniena incurrentium ferarum. Sed factum & non Chriſtianis. Atque ad hunc ipſum morem infamis & infanda illa turpitudo Neronis, qua viros fœmináſque ad ſtipitem ligatos, ipſe feræ pelle contectus, emiſſus è cauea, medios inuadebat.

Mortui in crucem dati. Poſtremò Crux fine alio, cum non viui, ſed mortui in ea appenſi. Notabis, & quod nobis ſolenne in rota exponere ſupplicio iam affectos, ad notam ſceleris & infamiam, id olim in cruce, & Orientalibus præſertim. Plerumque id factum poſt mutilationem, membrorúmque fractionem; aut etiam excoriationem. Nam deglubere olim crebrum Orientalibus;

&

& antiquum hunc morem excoriandi in ſuppliciis, Ægyptiis Perſiſque legimus; quem & hodie Ægyptij tenent. Nam graſſatores ſicariósque ita puniunt, diu viuos, donec ad vmbilicum carnifex perueniat.

Nec cadauer ſolùm, ſed imagines ſublatæ in crucem. Exemplo in Celſo, cuius corpus à canibus conſumptum eſt, & nouo iniuriæ genere imago in crucem ſublata. Imagines cruci affixæ.

De Materia & Loco Crucis.

PERREGIMVS de Forma & Modo: duo velut ſucciſiua & extra diuiſionem relicta, nunc adiungo, *Materiam & Locum.* E qua materie crux? Ex obuio & prompto aliquo ligno. E qua noſtri Saluatoris? Cenſemus è quercu. Primum, quia viri fide digni aſſerunt, fruſta ſacratiſſimi huius ligni, quæ hodie exſtant, ſpeciem hanc referre. Tum quia crebra & frequens in Iudæa olim & nunc quoque illa arbor. Tertiò, quia robuſtum lignum, & fixioni laturæque aptum. Quòd ſuperioris aliquot æui ſcriptores tria aut quatuor genera ligni in Cruce Dominica agnoſcunt (Cedrum, Palmam, Cupreſſum, Oliuam) curioſè magis dictum, quàm verè. Crux ex quo ligno.

At quis *Locus* cruci? Incertus, & pro arbitrio; tamen plerumque conſpectus aliquis & iuxta vias. Exempla enim exempla eſſe deſinunt, niſi aliorum animum oculóſque in ſe vertant. Quin etiam oppida certa loca habuiſſe videntur huic rei adtributa. Hac ipſa de cauſa poſita ea ſæpe in monte: vt Seruatoris noſtri in Caluariæ. Quin ipſa ſæpe alta, præſertim in noxio aliquo inſigni. Irriſio Galbæ huc pertinuit, qui cuidam imploranti leges, & ciuem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio aliquo pœnam leuaturus, mutari, multóque præter cæteras altiorem, & dealbatam ſtatui crucem iuſſit: altiorem, vt digniori: albatam, vt ciui, qui in veſte alba; ſiue etiam, vt magis notabilis conſpicuáque eſſet. Iam illa Amanis prælta, qui Mardochæo crucem 50. cubitorum poſuit, ſed ipſi aſcendendam. Sanè pleræque omnes altiuſculæ. Locus crucis. Cruces altæ.

Crux quatenus vſurpata.

NVNC pedem in vltimo velut ſpatio pono, quod eſt, *Quatenus* crux vſurpata. Poſtquam enim vitam ipſam inter- Crux è ſuppliciis ſublata.

Digitized by Google

INDEX
PRÆCIPVARVM RERVM
quæ hoc volumine continentur.

A

ADSTRICTIO in cruce. 312.
Ære dirutus miles quid. 82
Alapa quid. 98
Alapis cædebantur martyres. 96. 111
Alciati de equuleo ſententia reprobata. 276
Anglara & Angleria duo oppida diuerſa. 265
Arboribus alligabantur rei. 5
Arboribus appenſis, & iis reductis ſciſſi. 320
Arnoldus Manlius Gandenſis Cæſarei oratoris medicus Conſtantinopoli. 267. 285
Arthrembolæ quid. 29
Attilius triumuir culei ſupplicio damnatus. 204

B

BALNEI calore torrebantur martyres. 162
Balteus quid. 85
Barba martyrum pice illita, & incenſa. 165
Beſtiis obiiciebantur martyres. 144. 195. 245
Boiiæ quid. 71
Bomilcar in patibulo concionatus eſt. 315
Bractea. 125

C

CALCE viua perfundebatur martyr. 135
In Calcis fornaces deturbabantur martyres. 201. 202. 251
Camelorum curæ adſcriptus Hormiſdas martyr. 198
Canibus lacerandi martyres expoſiti. 197
Capite plectebantur martyres. 181. quomodo. 182
Carceres in quibus Chriſtiani detinebantur. 73
Carolus Rymius Orator Cæſareus Conſtantinopoli. 267
Catapulta tormenti genus. 29. 30
Catasta quid. 62
Catenæ. 72
Cathomo cædi quid. 94
Chryſanthus martyr paſſus fuit ſcaphiſmum. 13
Cingulum militare, & balteus idem. 85
Claui quã multi in crucifixione? 313
Clauis igneis martyrum tempora transfodiebantur. 147. 175. 231
Cloacarum purgationibus adſcripti. 219
Cochlea pro torculari. 36
Colaphus quid. 98
Collare vinculi genus. 71
Columnis alligabantur rei. 5
Conſtantinus Imperator inſcriptionem vultus vetuit. 185
Conſtantinus lege lata crucem ſuſtulit. 319. 322
Compedes quid. 68
Craticula ad aſſandos martyres. 143. & ſeqq. 149

Cratis quâ aſſatus fuit S. Laurentius, ſeruatur Romæ. 144
Crepidæ ferreæ ignitæ. 147
Cruces varij generis. 2
Crucis materia. 321. Crux Dominica è quercu. *ibidem.*
Crux infelix arbor, lignum & ſtipes dicta. 305
Crux compacta. 307. decuſſata. *ibidem.* commiſſa. *ibidem.* immiſſa. 308
Crux Chriſti quæ. 308
Cruce vſi Perſæ, Ægyptij, Iudæi, Afri, Romani. 308
Crux ſupplicium ſeruile. 308. 316
Crucem ferebant ad mortem damnati. 311
Crucis ſupplicium non Hebræis ſolùm, ſed & Gentilibus in vſu fuit. 2. in quibus differrent. 4
Cruci affixorum corpora donec putreſcerent, Gentiles relinquebant, non item Iudæi. 190
Cruci affixi capite in terram verſo. 2. pedibus in terram demiſſis. 3. 19
Cruci affixi milites. 83
Cruci affixi à feris & auibus dilaniati. 315. lanceis tranſuerberati. *ibidem.*
Crucis ſupplicium Conſtantinus ſuſtulit. 319. 322
Cruce ſublata, furca ei ſubſtituta. 319
Crura martyribus amputata. 316
Crurifragium. 189. 237. 315. 316. vſui erat Iudæis, non Gentilibus. 190
Culeus tormenti genus. 203. 204. 205. 255.
Cuſtodes ad crucem. 316
Cuſtos Commentarienſis eiuſque munus. 74
Cyphonis ſupplicium quale. 11
Cyphoniſmus. 12

D

Decimatio. decimari quid. 81. 83. 84.
Dentes euulſi martyribus. 187. 189. 235
Dimiſſio pœna militaris. 81

E

Ecvlevs per C. 273. 286
Equuleus quid. 48. 51. 77. de equuleo ſententiæ diuerſæ 50. Sigonij ſententia *ibidem.* Thomæ Bzouij ſententia. *ibidem.* in equuleo pendere quid. 54. 64. 77. in equuleo poſiti. 77. varijs tormentis cruciabantur. 59
Equuleus cur ita dictus. 272
Equulei inuentores Græci. 281
Equuleus dictus ſtipes, crux, mala manſio. 65
Equuleus hæreticorum in Anglia. 75. 78
Exilium cruciamentum martyrum. 210. 212. *& ſeqq.*

F

Faces quibus martyres adurebantur. 125. 131. plurium generum. 125
Feminæ Chriſtianæ ignominiæ cauſâ à Gentilibus tonſæ. 115
Feris obiiciebantur martyres. 194. 195. 245
Ferarum pellibus inſuebantur martyres. 199. 245
Fidiculæ quid. 57. 292. 298
Flagella. 311
Flagellatio ante crucifixionem. 310. quando adhibita. 311
Flagra 79. viliorum perſonarum pœna. 80. 221
In Flumina præcipites dabantur. 202
Fodere foſſam ignominiæ militaris genus. 82. 84. ſupplicium. 210
Forcipes ferreæ ad martyres cruciandos vſurpatæ. 114. quales in baſilica Vaticana aſſeruantur an-

Digitized by Google

riquæ *ibidem.* idem quod vngulæ: *ibidem.*
Forcipes quibus S. Ioannes tonſus fuit, aſſeruantur in baſilica Lateranenſi. 115
Franciſcus de Noailles Epiſcopus Aquenſis Francorum Regis orator Conſtantinopoli. 267. 284
Fumo necari. 320
Funalia quibus martyres adurebantur. 126. 131. 133
Funes ad crucifixionem adhibiti. 313. 314
Furca duplex 327. forma *ibidem.*
Furcifer quis dicebatur. 317
Furcæ ferreæ. 143

G

GAlea ignita. 146
Gladiis confoſſi martyres. 176
gladiis percuſſi. 182
Graphia puerorum inter martyrij inſtrumenta. 175. 229

H

HAstam dare, animaduerſio militaris. 82
Hordeo paſti Chriſtiani. 218
Hordeum pro tritico datum militibus dedecoris gratiâ. 82

I

IGni variis modis Chriſtiani cruciabantur. 156. & *ſeqq.* 169
Imagines damnatorum in crucem ſublatæ. 321
Infelix arbor crux. 305
Inſcriptio in cruce. 314
Inſcriptionis vultus ſupplicium. 185. 237
Iugulabantur martyres. 181
Iumentorum curæ adſcripti Epiſcopi. 198

L

LAconicvm, balnei pars, in quo martyres necati. 162
Laminæ ardentes. 124
Lampades ardentes. 127. & *ſeqq.* 131
Lanceis martyres transfoſſi. 176. 229
Lapidibus obruti martyres. 99. 111
Laqueo necari. 15
Laterum aduſtio publica pœna. 125
Laurentij Vallæ ſententia de equuleo reprobata. 274
Lebetes. 141. 151
Lectus ferreus. 145. 155. diuerſus à Craticula. *ibidem.*
Lictorum munus in cædendis reis. 92. 95
Lingua exſciſſa martyribus. 187. 189. 235
Lora quid. 71. Lorarij. *ibidem.*
Loris martyres diſtracti. 105

M

MAgii elogium. 265. mors. 267. opera. 268. eius de equuleo ſententia. 281
Mala manſio pro equuleo dicta. 65
Malleis capita ſuſpenſorum tundebantur. 25
Mamillæ abſciſſæ mulieribus. 186. 189. 235
Manicæ, manuum vincula. 70
Manus martyribus amputatæ. 188. 235
Maphors pro ſudario & panniculo in actis martyrum. 183
In Mare præcipites dabantur. 202
Melle peruncti ſoli exponebantur. 11. 21
Ad Metalla damnati martyres. 210. 222. 223
Metallici dicti qui ad metalla damnati erant. 224. etiam feminæ ad metalla damnatæ. *ibidem.*

N

NErvvs tormenti genus. 70. 79
Numellæ quid. 69

O

OBeliscis ferreis martyres cruciabantur. 147

Oleo ebullienti perfuſi martyres. 130. 135. 167
Olla martyrij inſtrumentũ. 139. 151
Ad Opus publicum damnati martyres. 219. 259
Orbicularia quid. 9
Oſſa martyrum, oſſibus aſinorum & camelorum immixta. 227

P

PALI acuti ſupplicium. 4
Patibulum & furca idem. 317
Pectines ferrei. 117 121
Pedes martyribus amputati. 188. 189. & confracti. 189. 233. 237
Pedicæ laquei genus. 70
Pellis martyribus detracta. 191. 237. 239
Perillus inuentor tauri æneí. 136
Phalaridis mors. 137
Plumbatæ flagelli genus. 90
Plumbum ad tormenta variis modis adhibitum. 91
Pompeia lex de culeo. 204
Pondera quibus martyres cruciabantur. 8. 9. 10. 19. 25
Præcipitij ſupplicium. 192
Prælum martyrij instrumentum. 36. 45. 141

R

RADIIS textricum mulierum confoſſi martyres. 191
Raptabantur martyres 192. 193. 218. 247
Rei quomodo cæderentur. 91
Rotæ ſupplicium 28. varia genera rotarum. 30. 31. 39. & ſeqq.

S

SAGITTIS martyres transfigebantur. 229
Salis glebis martyrum humeri onerabantur. 27
Sanguinis miſſio ignominioſa militibus. 81
Sarmenticij dicti Chriſtiani. 320
Sarrago inſtrumentum martyrij. 141. 143. 151. 153
Saxis martyres oppreſſi. 99. 111
Scaphiſmus quid. 12. in vſu apud Perſas. 13
Scorpiones quid. 88
Sella ferrea ignita. 146. 155
Securi martyres cædebantur. 182
Sepultura martyribus negata. 226
Serris ferreis martyres diſſecabantur. 175. 233
Sigonij ſententia de equuleo. 50. reprobata. *ibidem & 55*
Soricibus rodendi martyres tradebantur. 199
Stigmatibus in fronte deturpabantur martyres. 185. 237
Stimulis torqueri quid. 175. Stimulus quid. 175
Stipendij fraudatio pœna militaris. 81. 82
Stipites in vſu ad ſupplicia. 5
Streblæ quid. 29
Styli ferrei ad martyrium adhibiti. 173
Stylis confodi quid. 173
Subulæ ferreæ martyrij inſtrumentum. 195
Suppedaneum in cruce. 314
Suſpenſionis genera varia. 6
Suſpenſi altero pede. 7. 19. 20. ambobus pedibus. 7. 21
Suſpenſi altero brachio. 7. 19. ambobus brachiis. 9. 19
Suſpenſionis modus in furca. 318
Suſpenſi pollicibus manuum. 10. 25
Suſpenſi vnco. 25
Suſpenſæ capillis mulieres. 18. 19
Suſpenſis ignis ſupponebatur. 23
Suſpenſorum capita malleis tundebantur. 25
Suſpenſio in cruce. 312

T

TAVRVS æneus. 136. & ſeqq. 153
Tauri cornibus alligati martyres. 196

Digitized by Google

Tedæ quibus martyres adurebantur. 126
Terebris martyres excruciabantur. 175. 231
Terra obruebantur martyres. 201. 249
Teſtacea fragmenta quibus martyres dilaniabantur. 118. 130. 135
Thomæ Bzouij ſententia de equuleo. 50
Titulus damnatis præferri ſolitus. 34. item apponi. *ibidem*.
Titulus gladiatoribus appoſitus. 314
Torcular martyrij inſtrumentum. 36. 45. 141
Traducebantur damnati per vrbis compita. 314
Super Tribulos acutos volutabantur. 257
Trochleæ martyrij inſtrumenta. 33. 35. quid. 34. 45
Trochleis extenſi. 35. 43
Trochleis eleuati. 35. 47
Tunica ferrea. 147. 155
Tunica moleſta quid. 163
Tympanum quid apud Græcos 278
Tympanizare quid apud Græcos. 279. 280. 296

V

VACCARVM paſtor efficitur Armagaſtus Chriſti confeſſor. 199
Ventres martyrum diſſecti. 176. 207. 241
Verubus transfixa martyrum corpora. 191
Virgæ quid. 86. 311. ex vlmo. 87. ex betula. *ibidem*. ex quercu. *ibidem*.
Virgis cædebantur primùm qui capite plectendi erant. 153
Virgis cædebantur martyres rotis alligati. 32
Virgæ ſanguineæ. 205
Virgæ ſpinoſæ. 88
Virgæ ex vite. 87. his cædebantur milites rei. *ibidem*.
Virginum Chriſtianarum ſupplicia. 176. & *ſeqq*. denudaræ. 177. raſæ. *ibidem*. lenonibus traditæ. *ibidem*. ad proſtibula expoſitæ. *ibidem*.
Vitis Centurionum inſigne. 87
Vlmeæ virgæ. 86 Vlmei dicti qui vlmeis virgis cæſi fuerant. *ibidem*.
Vncus martyrij inſtrumentum. 115. & *ſeqq*. 121
Vnco ſuſpenſi. 15. 27
Vngulæ quid. 112. & *ſeqq*. 121
Volaterrani ſententia de equuleo reprobata. 275

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google